THEOCRI-
TI SYRACVSANI EIDYLLIA

trigintasex, Latino carmine reddita, [redacted].

Accesserunt recens

THEOCRITI *genus, ac uita.*

De inuentione, ac discrimine Bucolico-*rum carminum.* *Item*

Singulis Eidyllijs *singula argumenta.*

A quodam græcè, latineq; erudito latinitate donata.

Excudebat [redacted], An.

M. D. XXXI.

THEOCRITI SYRACVSANI GENVS, AC VITA, A QVOdam de utraq; literatura bene merito, latinitate donata.

THEOCRITVS Bucolicorum poëta, Syracusanus fuit genere, patre Simichide, quēadmodum & ipse affirmat: Eid. 2.

Σιμιχίδα πᾷ δὴ τὺ μεσαμέριον πόδας ἕλκεις. hoc est:

Simichida unde uenis, medio dū Phœbus in axe est? Sunt tamen, qui id cognominis ei fuisse, quòd sima esse facie uideretur, patremq; habuisse Praxagoram, & matrem Philinam, asserere non dubitant. Cæterùm Philippiadis auditor fuit & Asclepiadis, quorum etiam mentionem facit. Floruit autem sub Ptolemæo, Lagi cognomento: & bucolico carmine, cum bonæ esset indolis, non paruam sibi gloriam parauit. Vnde secundum aliquos, qui Moschus aliâs appellatur, Theocritus uocatus est.

VBI ET QVA RATIONE INuenta Bucolica, eodem interprete.

Bucolica ferunt Lacedæmoni inuenta esse, inq; magno precio habita. Qūū enim Persæ instarent, ac uniuersam propè Græciam metu perturbarent, institit simul etiam Dianæ Caryatidis festū: ibi tum uirginibus ob belli tumultū abscondentibus sese, agricolæ quidam

templum ingreßi, singularibus quibusdam cantilenis Dianam celebrarunt. Horum igitur cantu neutiquam ingrato existente, inoleuit consuetudo isthæc, ac posteriori etiam ætati deinde seruata est. Alij uerò ad hunc modum in Tyndaride Siciliæ urbe introducta esse Bucolica testantur: Quum Orestes Dianæ simulacrum è Tauris Scythiæ extulisset, oraculo admonitus est, ut septem fluminibus uno ex fonte promanātibus ablueretur. Itaq; Rhegiū, qui Italiæ locus est, profectus, scelus abluit, separatis istis, quibus de iam dictum est, fluminibus. Demum uerò Tyndaridem Siciliæ peruenit: ubi eius loci incolæ deam proprijs quibusdam cantilenis collaudantes, primam consuetudini inuentionē tradiderunt. Vero tamen similius hoc uidetur, quod quidam tradunt: seditione quadam apud Syracusanos orta, ac plerisq; ciuium, ita ut fit, corruptis, Dianam sedulò effecisse, ne quæ restabat multitudo, ac indies confluebat magis, simili discordia periclitaretur, sed in gratiam redirent potius: unde agricolæ oblatis deæ muneribus, ac hymnis, rusticisq; poëmatis læti gratantes, consuetudini locum fecerunt.

DE CARMINVM BVCOLicorum discrimine.

Nonnihil inter se differunt Bucolica, idq; iuxta poëmatum inscriptionem. Etenim & craparia sunt, & pastoralia, & mixta. Inscriptionē uerò ἀπὸ τῶν βοῶν, hoc est à bobus, uelut præcipuo animante, sortiuntur: quapro-

quapropter etiam Bucolica dicta sunt omnia. Bucolos enim παρὰ τὸ τὰς βόας ἐλαύνειν, hoc est, ab agendis bobus nomen habet: siue ἀπὸ τοῦ τὰς βόας κωλύειν ἀπομαγελῶσας, id est, à bobus prohibendis, ne à reliquo armento secedant: aut ἀπὸ τῶν βοῶν κορεῖν καὶ ἐπιμελεῖσθαι, quòd curare boues, ac pascere in primis ipsorum interest: mutatione scilicet ρ liquidæ in aliam sui generis λ. Canere autem ipsos, pastores nempe, aiunt, panem claua suspensum tenentes, ferarum uel pecorum in se figuras repræsentantē, ac peram circumferre omnis generis legumimibus refertam: item uinum in caprino utre libationem obuijs distribuere, coronamq́; circundatam, & ceruina sibi cornua addita habere, & manu quidem pedum gestare. Eum quoq; qui uicerit, deuicti panem accipere. Et eundem morem Syracusis etiamdum perdurare. Eos autem qui uicti fuerint, ad uicinos abire, sibijpsis nutrimēta colligentes. Exhibere uerò & alia quædam, ludicrum ac risum habentia, & fausta ominantes insuper adijcere: accipe bonam fortunam, accipe sanitatem, quam à dea ferimus, quam uocauit isthæc.

DE BVCOLICORVM inscriptione.

Eidyllion dicitur, quòd εἶδος, hoc est, forma quædam, ac uelut idea sermonis sit: & diminutiuè εἰδύλλιον, quasi paruum carmen appellatur.

DE POESEOS HVIVS DI-cendi generibus.

Tres habet omne poëma dicendi formas. aut enim est enarratiuũ, quod διηγηματικὸν Græci uocant: aut actiuum, quod δραματικόν: aut mixtum. Omniũ uerò harũ specierum mixtura quædam est bucolicum, quasiq; contemperatum: quapropter & gratiosum in primis, maximè ob mixtam elocutionis uarietatem. Interdum enim enarratiuo constat genere: quandoque uerò dramatico: nonnunquã autẽ mixto, hoc est, illorum utroq;, prout occasio tulerit. Cæterùm quatenus fieri potest, id genus poëmatis rusticorum mores exprimit: eleganter omnino horridam ipsorum & incultam uiuendi rationem, quam corrigere ob rusticitatẽ ignorant, deliminans. Ab eo autem quod poëseos nimium grande ac turgidum est, pulchre sibi cauet.

ERASMI

[redacted]

Epigramma.

Dum Siculas capras in Norica pascua ducit
 Hessi[redacted]ctoo frigore torpet humus.
Pastorem Siculæ Musæ [redacted]:
 Custodes teneri uos [redacted] gregis.
Esse alibi poterat forsan clementior aura,
 Sed melior nusquam, credite, pastor erat.
Hic uos ingenti studio ueneratur, amatq;,
 Donaq; pro meritis annua ferre solet.
Hic quoties uisum est exili ludere auena,
 Sicelides Musas per sua rura canit.
At quum non arbusta iuuant, humilesq; myricæ,
 Et populus grauius carmen in urbe petit,
Ille tuas laudes & fortia Carole facta,
 Gestaq; felici prælia Marte canit.
Tunc inflata sonat grauiores tibia uersus,
 Et uerè heroo carmina digna pede.
Sic quondam Aeacides, sic est celebratus Vlysses,
 Cuius sunt Priami mœnia capta dolis.
Ergo agite, & uestrum Musæ defendite uatem,
 Lasciuumq; illi uos cohibete gregem,
Ne qua incauta suis egressa ab ouilibus erret
 Longius, inq; auidas incidat agna lupos.

MAG[redacted]SS.
VIRO DN. HIERONYMO EB-
nero, inclytæ ciuitatis Nurenbergæ senato-
ri &c. Domino suo colendo [redacted]
[redacted]. D.

HAs tibi Trinacrio ductas è rure capellas
Mittimus, & Latia pascua uersa manu.
A ccipe, nec tenuis spernas Ebnere poëtæ
Quæ tibi de fundo paupere dona damus.
M unera sint quanquam non pauperis ista peculi,
Sunt tamen è patria nuper abacta sua.
N am quæ uelleribus niueis per plena nitebant
Pascua, dum Siculo rure uagantur, oues,
I n Latios campos Romanáq; pascua ductæ
Vellera pro niuea pallida ueste gerunt.
N on tamen hic tota color est ratione pudendus,
Proxima candori præmia pallor habet.
E t quanquam gregibus color est mutatus, ijdem
Sunt tamen, & uitæ quod fuit antè manet.
A ccipe Simichidæ lusus Hieronyme uatis,
Quo uarium quicquam uix magis esse potest.
P astores, armenta, greges ouiumq; boumq;
Concinit

Concinit, & uitulos, caprigenumq; pecus.
N unc teneras, Veneris gratißima regna, puellas:
Dicere me pueros, quos canit ille, pudet.
N unc ita Cyclopi Nereida ſcribit amatam,
Vt Venerem noſtræ cedere cogat opi.
H eroum celebrat laudes, Heroidas ornat
Carmine, paſtorem quod decuiſſe queat.
P aſtor, uenator, meſſor, piſcator, & auceps,
Nauita, miles, eques, pictor & agricola eſt.
E t ne quid non ſit, quandoq; & Sphynga uidebis
Eſſe, lyra uarios nunc ſociare pedes.
T am uaria Andino non eſt ſua Muſa Maroni,
Materiæ cultor ſimplicis ille fuit:
E t tamen agnoſcas hic magni furta Maronis
Plurima, ſed nullo digna pudore legi.
S ume Syracuſij paſtoria ſcripta poëtæ,
Vrbis & ætatis gloria magna tuæ:
S ume, nec inſolitos auſus mirare, quòd huius
Te mihi patronum carminis eſſe uelim.
N am mihi ſollicito uoluenti pectore, cui nam
Hæc Mœcenati ſcripta tuenda darem,
I n primis uiſa eſt uirtus tua tale mereri,
Inde tibi hoc etiam poſſe placere decus.

Nam quum ſis animo morum ciuiliter æquo,
Auſonidos linguæ nec tibi deſit honor:
Quum nimis exulibus faueas hoc tempore Muſis,
Vnicus & patriæ damna pudenda leues:
Quid mirum ſi te tantis uirtutibus auctum,
Laudibus æternis muſica turba ferat?
Adde quòd hæc ſtudijs tā ſunt mala tēpora, ut horū
Si quos non pudeat, dixeris eſſe bonos.
Vt ſibi non tantum pauci bona ſcripta dicari,
Aut ſua cantari carmine facta petant,
Verùm etiam ſi fortè dices aut carmine laudes,
Indigna læſos ſe ratione putent.
Sed tamen eſt peſtis noſtro iſta ferenda ſub æuo.
Optima uenturis tempora fata dabunt.
Accipe nunc iterum Siculas Ebnere camœnas,
Quæ tibi nos Latio carmine ſcripta damus.
In quibus haud modico uerſata induſtria niſu
Noſtra, nec exiguo pondere preſſa fuit.
Hoc quoq; ſi quæras, uerum, nec turpe fateri eſt,
Vix opus exactum tertia meſſis habet.
Non quia non poterat citius prodiſſe ſub auras,
Sed quia ſæpe graues interiere moræ.

Nam

N am quia dura fuit uertendi Græca facultas,
Corrupta innumeris, & mutilata locis,
S æpe animum subijt linquendi cœpta uoluntas:
Ne tamen hoc facerem, qui prohiberet, erat:
H ic Ioachimus erat, Camerarius ille meorum
Et studij consors, & comes ingenij.
H uic bona pars operis debet, quia multa per illum
Reddita uel melius, uel noua facta uides.
Q uòd mihi si qua parum sunt explorata, nec omni
Plena modo, ueniam res meruisse potest.
R es ita difficilis, duri res plena laboris,
Res, quam nemo ausus nos prior ante fuit.
E t si non nimia est ea gloria, credere debes,
Non labor exiguo constitit iste mihi.
T ot mihi brumali uigilatæ sydere noctes,
Tot mihi sub calido sole fuere dies.
S æpe meis Musis, insanæ abscedite, dixi,
Res odiosa aliquem non habet ista modum.
P lus decuit uestras uos lasciuire per arteis:
Externi nouitas carminis unde uenit?
Q uæ nunc ignauo malè perditis ocia luxu,
Impendenda horis illa fuere bonis.

PROLOGVS.

At tu Noricidæ decus & bona fama ſenatus,
Conueniens meritis nomen adepte tuis,
Accipe Trinacrio ductas è rure capellas
Clare uir, & magni muneris inſtar habe.
Sic tibi ſint ſalui, quos ornas ſolus honores,
Sic ſuperent uitæ tempora longa tuæ,
Sic tuus & patrios adoleſcat Eraſmus in annos,
Et patriæ fiat gloria prima ſuæ.
Quòd ſi grata tibi fuerit mea recta uoluntas,
Nullum operæprecium grandius eſſe uelim.

THEOCRITVS IN ſuum ipſius librum.

Hæc ego compoſui, non ille Theocritus, ortu
Chius, at è media plebe Syracuſius,
Praxagora genitore ſatus claráq; Philina,
Externo cecini carmina nulla ſono.

ARGVMENTVM PRImi Eidyllij.

Hoc Eidyllio Daphnidis interitus ac luctus describitur, cuius deinceps quoq; poëta, ut uiuentis, meminit. Priorem tamen huic locum ideo dedit, quia & plus habet gratiæ, & maiore artificio quàm reliqua compositum est. Siquidem & Pindarus, operis cuiusq; initio personam aliquam illustrem præponendam admonet. Est autem ipsum quidē carminis genus ἀμοιβαῖον, id est, reciprocum, siue intercalare, ac magna ex parte dramaticum: quippe nullū poëtæ persona locū obtinente. Porrò pastor introducitur cū Thyrside colloquens αἰπόλος, id est caprarius, cuius quidem nomen aliud ignoratur: quanquam non desunt, qui Menalcam aut Comatam intelligunt.

ARGVM. ALIVD.

In hoc Eidyllio colloquuntur inter se Thyrsis opilio, & caprarius, uidelicet Menalcas, aut Comatas: Aepoli enim, siue caprarij nomen ignoratur.

THEOCRITI SYRACVSANI EIDYLLIA, AB [redacted]atina facta.

EIDYLLION PRIMVM, THYRSIS.

THYRSIS ET AEPOLVS.

TH. AEpole dulcis hîc eſt uicinæ ſpiritus auræ,
Dulcis & hæc ſtrepitu fontes prope conſita pinus,
Et tu quod dulci modularis carmen auena
Te facit eſſe loco dignum poſt Pana ſecundo.
Quem ſi cornigero iudex donauerit hirco,
Ipſe feres fœtam pulchro è certamine capram.
Quòd ſi capra magis Pana oblectabit, habebis
Ipſe hornam teneramq́; enixa à matre capellam:
Et caro non alia eſt iucundior ullius eſu,
Quàm, quæ mulctra recẽs nõ uenit ad ulla, capellæ.

AEP. Thyrſi tuum noſtræ carmen iucundius auri,
Quàm quæ præcipitans alta de rupe ſuaui
Murmurat unda ſono: quòd ſi pro pignore Muſæ
Certantes mereantur ouem, tu pinguibus agnum

Viſceribus

V isceribus fultum accipies: quòd si magis illæ
P rætulerint agnum, pecus ipse tenebis ouillum.
Vis age per Nymphas igitur, uis Aepole mecum TH.
H ic residens tenera tumuli procliuis in herba,
H as humiles subter calamos inflare myricas?
I nterea pascam has ego te cantante capellas.
Non licet, & medium iam sol conscendit ad axẽ, AEP.
T empore quo nemus omne silet, nec carmina fas est
V lla sonare leui calamo: nam Pana ueremur:
C orpora nunc siquidem uenatu fessa quieti
P roijcit, haudquaquam facilis pastoribus ullis,
S emper ut ingenio ferus est, & pronus in iram.
D aphnidis interea nobis cane Thyrsi dolores:
E t quia bucolicæ dudum fastigia musæ
S umma tenes, ulmũ hanc sedeamus subter opacã,
C ontra hunc Lampsacij quo sunt simulacra Priapi,
E t positæ fontana loco stant numina Nymphæ,
Qua uirides præbent enata sedilia quercus.
C armina si uerò cantabis, qualia & olim
C antabas Libycum cõtra Chromin, hãc tibi dono
C apram, quæ duplici partu fœcunda quottannis:
E t licet emulso binos alat ubere fœtus,
B is tamen uberibus mulctram lactentibus implet.

Praeterea ex hedera calicem molli atq; suaui
Collutum cera, duplici concinniter ansa
Munitũ, pulchrũ, atq; nouũ, quod adhuc sapit ipsum
Artificem, teretes qui circumfuderit oras,
Extantem folijs hederam, flauo Helichryso
Distinctam, quae serpit Helix laetissima circum
Effundens croceos rubicundo germine fructus.
Interiore sedet mulier formosa labello,
Artifici caelata manu, peploq; uenusto
Reticuloq; nitens exercita, quam prope compti
Tempora nuda uiri, & promisso crine comantes
Certabant lenibus per mutua iurgia uerbis:
Sed uerbis, quibus haud animum mouere puellae.
Illa salax oculis, nunc hunc, nunc aspicit illum
Arridens, alij interdum blanditur: at illi
Turgida sollicito torquentes lumina motu
Desudant nimio uanos in amore labores.
Hos iuxta senior scopulo piscator adhaeret,
Lataq; festinans in iactum retia pandit,
Iam uetulo referens iuueniles corpore uires:
Mireris ualidum per membra senilia robur,
Quo facile attractos pisces in retia cogat:
Tantum illi cano tumuere in corpore uenae,

Quodq;

Quodq́; queat uiridem robur decuisse iuuentam.
Nec procul ante plagas piscantis in æquore cani
Prægrauida expressa est maturis uinea botris,
Quam iuxta sedet, & munitam sepibus altis
Custodit puer: at geminæ per proxima uulpes
Adrepunt loca: maturas hæc palmitis uuas
Prærodit, struit illa dolos, peræq́; propinquat,
Haud puerum missura prius quàm munere cassum
Destituat, uacuumq́; cibo ad ieiunia cogat.
Ille autem insidijs cupidus captare locustas,
Innectens iunco pulchras contexit aristas,
Huic uni curæ intentus: nec uinea tantum,
Nec pera est animo, quantum quas nectit, aristæ.
Talia digeßit circum cratera magistri
Ingeniosa manus, inter quæ mollis acanthus
Undiq; complectens pulcherrima pocula, circum
Funditur, agresti præbens miracula turbæ.
Portitor hunc nobis Calydonius attulit olim
Venalem, tanta simam pro merce capellam:
Caseolosq́; dedi niuei de munere lactis,
Necdum illi labra admoui, nec pocula, quamuis
Hæc mea sint, tetigi, sed tantum condita seruo
Immaculata quidem, sed quæ tibi prompta uolēsq́;

Detulerim, si fortè canas pro munere carmen,
Quale soles: neq; enim inuideo tibi. nūc age Thyrsi
Huc ades, haud equidem quæ tu dulcissima cantas
Carmina, ad infernæ duces obliuia Lethes.

TH. Dicite bucolicos mea carmina, dicite cātus. (est:
Aetnigena hic Thyrsis, Siculi uox Thyrsidis hæc
Quæ nemora, aut qui uos saltus habuere puellæ
Naiades, indigno quum Daphnis amore periret?
Pulchrá ne uos tenuisse putem Peneia Tempe?
Num iuga Thessalici Phœbo gratissima Pindi?
Nam neq; detinuit placidi uos flumen Anapi,
Non etiam scopuli flamma insuperabilis Aetnæ,
Non sacrum coluisse putem uos Acidis amnem.
Dicite bucolicos mea carmina, dicite cantus.
Illum omnes fleuere feræ, fleuere lupiq;,
Pantheræ Thoësq;, nec illius impia flentes
Funera syluestres ignorauere leones.
Dicite bucolicos mea carmina, dicite cantus.
Omnes hæc placidæq; boues teneriq; iuuenci,
Et uituli, & fortes qui stant ad flumina tauri,
Daphnidis interitum & crudelia funera lugent.
Dicite bucolicos mea carmina, dicite cantus.
Venit Atlantiades primus de montibus altis,

Et, quis

Et, quis, ait, te Daphni furor consumit & aufert?
Dicite bucolicos mea carmina, dicite cantus.
Pastores uenere boum per pascua cuncti,
Venerunt teneras soliti pauisse capellas:
Omnes unde amor iste rogant: tibi uenit & ipse
Impiger hortorum custos, dixitq; Priapus:
Daphni miser, quonam tanto consumeris æstu,
Dum memor illa tui circum nemora omnia cursu
Fertur, & egelidas fontes, & nota peragrat
Flumina, & intonsos saltus, montesq; supinos?
Dicite bucolicos mea carmina, dicite cantus.
Solius illa tui cupiens, te sola requirens.
Tu uerò infelix & iniquo perditus æstu,
Cui neq; par, animo quid deficiente laboras?
At qui te dixere boum per rura magistrum,
Nunc similem sterili pascenti in rupe capellas
Conspiciunt: nanq; hic salientem sæpe capellas
Cum uidet, esse uolet sese quem conspicit hircum,
Et miser interea limos tabescit ocellos.
Dicite bucolicos mea carmina, dicite cantus.
Sic quoq; tu teneras spectans risisse puellas
Internas tacito consumeris igne medullas,
Et tua sollicito liquuntur lumina uisu,

F riuola quòd blando moueant incendia saltu
T e sine, nec sociæ dignentur honore choreæ.
H is nihil ille quidẽm quicquã respondit, at amens
I n tam difficili tantum perstabat amore,
Quantum quod reliquæ superabant tempora uitæ.
Dicite bucolicos mea carmina, dicite cantus.
V enit & ipsa tamen suauissima mater amorum,
R idens dulce Venus, sed blando subdola uultu
O cculuit tacitum turbato in corde dolorem:
T úne, inquit, miserande puer pugnabis amori?
T úne illum domuisse paras? & posse fereris?
A n potius tete ille domat? num uincis amorem
V rgentem infesto tua nunc præcordia telo?
Dicite bucolicos mea carmina, dicite cantus.
C ui Daphnis: Dea sæua Venus, semperq́; nocendi
P rodiga, digna odio, Venus iracunda, minaxq́;:
N arrat enim Phœbus iandudũ hæc omnia nobis.
D eficit hic uerò Daphnis, ferturq́; sub umbras,
O pprobrium miseri crimenq́; futurus amoris
L ongè apud infernas Plutonia regna paludes.
Dicite bucolicos mea carmina, dicite cantus.
Quin potius pergis, Phrygiam quin pergis in Idam,
Qua Venus, ut perhibent, pastorẽ est passa maritũ:

Quin petis Anchiſen, quem circũ plurima denſent
Vmbroſum querceta nemus, loca cõmoda furtis:
Hîc tantum uirgulta uirent humileſq́; cyperi,
Dulciſoniſq́; ſtrepunt apiaria mellea bombis.
Dicite bucolicos mea carmina, dicite cantus.
Eſt etiam tibi formoſus dum paſcit Adonis,
Et timidos iaculo lepores configit acuto,
Inſequiturq́; feras, per deuia luſtra uagantes.
Dicite bucolicos mea carmina, dicite cantus.
Quin iterum accedis, Tydidæ cõminus arma
Et iactas, Daphnin quia uiceris ipſa relictum.
Verùm age, nunc mecũ in iuſto certamine pugna.
Dicite bucolicos mea carmina, dicite cantus.
O montana lupi quicunq; hæc luſtra tenetis
Thoës, & ô altis habitantes montibus urſi,
Non ego uos ultra per deuia luſtra uidebo:
Per nemora hæc Daphnin ſatis eſt uixiſſe: Valete,
Tuq́; uale, patrijs Arethuſa celebrior undis,
Et fluuij quicunq; ſacram ſub Thymbridis undam
Influitis, uos extrema nunc uoce ſaluto.
Dicite bucolicos mea carmina, dicite cantus.
Ille ego ſum Daphnis, proprijs qui paſcua bobus
Hæc teneo, atq; idem longo iam tempore Daphnis

Hos tauros, atq; has uitulas ad flumina duco.
 Dicite bucolicos mea carmina, dicite cantus.
O Pan Pan, seu longa tenes dumeta Lycæi,
Seu tu Mænalias arces, tua regna, frequentas,
Linque Helices altũ q excurrit in æquora montẽ,
Linque Lycaonidæ tandem sublime sepulchrum,
Quod magnorum etiam mirentur numina diuûm,
Oppositamq́; ueni Siculæ telluris in oram.
 Claudite bucolicos mea carmina, claudite cãtus.
Pan ades, & calamos hos accipe dulce sonantes,
Compactosq́; tibi, quos circa labra canentis
Illita complexu conuoluit cera tenaci:
Quandoquidem pereo sæuo confectus ab æstu,
Infernasq́; trahor non digna morte sub umbras.
 Claudite bucolicos mea carmina, claudite cãtus.
Nunc uiolis frondete rubi, florescite spinæ:
Nunc etiam pulchro Narcißi in flore comantes
Iuniperiq; breues pugnantia fœtibus ædant
Omnia natiuis: ferat hæc, pyra mollia, pinus:
Nunc timidæ catulos agitent in retia ceruæ,
Stridula uocali philomelæ noctua certet,
Dum perit extinctus crudeli funere Daphnis.
 Claudite bucolicos mea carmina, claudite cãtus.

Hæc tunc

Hæc tunc ille canens, placido sic fine quieuit.
Quẽ tamen aspiciẽs Venus ut miserata iacentẽ est,
Erectura fuit, sed iam fatalia uersis
Omnia fila retro ceciderunt languida Parcis.
Ille quidem fluuium nautæ transiuit auari,
Sustulit unda uirum Musis uehementer amatum,
Omnibus & gratum præstanti pectore Nymphis.
Claudite bucolicos mea carmina, claudite cãtus.
Tũ nunc trade scyphum, tenerã nũc trade capellã,
Vt Musis de lacte mero libamina ponam
Illius emulsæ: nunc ô mea numina Musæ
Aeternum saluete, quibus mea fistula debet
Omnia quæ reliquæ superabunt tempora uitæ.
Mellibus Hyblæis totum tibi docte poëta AEP.
Os fluit, atq; merum spirant tua guttura nectar:
Ipse fauos loqueris, ceu ficu pastus opima,
Quam uel ab Attidibus transmiserit Aegilus oris,
Postquam ipsas superas arguta uoce cicadas.
Hũc igitur cape Thyrsi scyphũ, quẽ suauia olentẽ
Formosæ lauere suis in fontibus Horæ.
Huc ades ô Cissætha, hanc mulge, huc ite capellæ,
Ne fortè iste salax in uos lasciuiat hircus.

ARG. II. EIDYLLII.

Subijcitur hoc Eidyllio mulier Simætha, Delphidis cuiuſdam Myndij amore capta, quem pueriliter magno ſtudio ac tolerantia occupatū in palæſtra, philtris quibuſdam ac medicaminibus amatorijs famulæ Theſtylidis opera adiuta pertrahere ad ſe ſtudet. Lunam atque Hecaten implorans, ueluti utiles ad amorem adiutricesq; nocturnas deas. Parum aptè uerò Theſtylida tranſtulit Theocritus ex Sophronis poëtæ † Midis.

† Mimis

THEOCRITI PHARMACEUTRIA. EIDYL. II.

Has lauros, hæc miſta fer huc age Theſtyli philtra,
Atq; hæc purpureæ tege pocula uellere lanæ,
Excantare uirum magno mihi amore moleſtum.
Aggredior, quem nunc bis ſex deſidero ſoles:
Qui nec utrum uiuam, nec utrū ſim mortua nouit:
Nam mea nequaquam iandudum limina pulſat
Improbus: an'ne aliò placidos ille egerit ignes
Inconſtans amor, & facili mutabilis aura?
Timageti igitur cras fortis adire palæſtram
Conſtitui, ut calido ſudantem in puluere uiſum
Incuſem, quibus ille malis me ludat amantem.

Nunc

N unc tamen excantabo uirum: mihi sacra ferentî
L una faue, claráq; uelis te in luce uideri,
S acra tibi taciturna feram, tibi carmina dicam:
O dea, terrestríq; Hecati, quam luce carentem
B usta per & nigro gaudentem sanguine, ad auras
S urgentem patulis catuli timuere sepulchris,
T u nunc salue Hecate, Eumenidum dea magna potentũ,
I n finemq́; adsiste, nec inferiora paranti
P harmaca Medeæ'ue, aut flauicomæ Perimedæ,
A ut quibus usa fuit stellati filia Solis.
Iynx redde domũ retrahẽs mihi reddere maritũ.
F arra tibi hæc primùm sacro comburimus igni.
S parge sed infelix age Thestyli, quis tibi mentem
E ripuit furor? an derides improba? uerùm
S parge simul dicens, hæc spargo Delphidis ossa.
Iynx redde domũ retrahens mihi redde maritum.
D elphis me malus urit, ego hanc in Delphide laurũ.
A tq; ut in igne crepans incenditur illa, nec ulli
A mplius apparent cineres ustæ'ue fauillæ,
S ic uno in cineres abeat caro Delphidis igni.
Iynx redde domũ retrahẽs mihi redde maritum.
H æc ut agente dea flammis mihi cera liquescit,
S ic in amore meo liquefiat Delphis: ut autem

Aereus hic Rhombus conuertitur à Venere ipſa,
I pſe uolutetur ſic ad mea limina Delphis.
Iynx redde domum retrahens mihi redde maritũ.
F urfura nunc tibi ſacrifico, tu Ditis in aula
C onfregiſſe adamanta, & ſi quid durius illo eſt,
M agna Diana potes: ſed in urbe latratibus ædunt
N unc mihi ſigna canes: certè dea uenit, & errant
I n triuijs, reſonantq; citis tinnitibus æra.
Iynx redde domũ retrahens mihi redde maritum.
E cce ſilent taciti tranquilla uolumina ponti,
E t nocturna graues poſuerunt flamina uenti.
A t non illa tacet, non pectoris illa quieſcit
I ntima flamma mei, ſed tota peruror in illo,
Q ui me legitima miſeram pro coniuge fecit
E ſſe malam triſtemq; dolore pudoris adempti.
Iynx redde domũ retrahens mihi redde maritum.
N unc ego ter libo, ter & hæc bona carmina dico,
S iue leuis mulier, ſeu quis puer accubat illi,
I llius impediant tam craſſa obliuia mentem,
T heſea quàm memorãt quondam tenuiſſe ſuperbũ,
D eſerto quum pulchrã Ariadnan in orbe reliquit.
Iynx redde domũ retrahens mihi redde maritum.
N aſcitur Hippomanes in montibus Arcados oræ

Herba

Herba nocens, quâ tota armenta mouentur equorũ
In furias, rabidiq; feruntur in auia pulli:
Sic ego te Delphim uideam hæc in tecta reuerti,
Correptum furia pingues liquisse palæstras.
Iynx redde domũ retrahens mihi redde maritum.
Perfidus hanc Delphis de chlæna perdidit oram,
Hanc ego nunc uellens duro infero protinus igni.
Heu crudelis amor, quid inhærens oßibus omnem
Sanguinis humorem bibis ut fluuialis irudo?
Iynx redde domũ retrahens mihi redde maritum.
Nunc ego uirosæ tero frigida membra lacertæ,
Pocula cras tibi præsentis missura ueneni.
Verùm age sume uenena hæc Thestyli, & ista sub-
Limina, quæ nũc me retinẽt ceu reste ligatã, (unge
Quandoquidem de me nil curat perfidus ille,
Et tacito dic murmure, spargo Delphidis ossa.
Iynx redde domum retrahẽs mihi redde maritũ.
Nunc certè, nunc sola manẽs, quibus utar amorem
Deplorans lacrymis? quæ prima exordia captem?
Nostra quis immisit deus hoc in corda uenenum?
Plena canistra ferens Eubuli uenit Anaxò
Filia, ad hæc triuiæ nemoris loca sacra Dianæ,
Tempore quo sanè uariarum pulchra ferarum

P ompa parabatur, quas inter ſæua Leæna.
Vnde hic durus amor mihi uenerit accipe Luna.
E t me Tencharide nutrix hæc Threſſa rogauit,
H æc uicina meis foribus mulierq́; beata,
V t pompā aſpicerem, quam protinus ipſa ſequebar,
I nfelix pulchra circundata corpora byſſo,
S uſpenſamq́; gerens Cleariſtæ xyſtida collo.
Vnde hic durus amor mihi uenerit accipe Luna.
I am mediam permenſa uiam, qua rura Lyconis
S unt ſita, Delphin ego hîc atq; Eudamippon eūtes
C onſpexi ſimul, his coma flaua æquans Helichry-
P ectora ſplendidiora fuerūt lumine Lunæ, (ſum,
V t qui deſererent calidæ graue munus arenæ.
Vnde hic durus amor mihi uenerit accipe Luna.
V t uidi, ut perij, ut me malus abſtulit error,
V t miſeræ mens læſa, ut formæ protinus omnis
D ilapſus uigor effluxit, nec iam amplius ulli
I nſtabam pompæ, nec tum ſatis ipſa ſciebam,
Q uóue domum pacto poſt illa reuerſa fuiſſem
C urabam, ſed enim morbo populabar acuto.
N octibus ergo decem totis, totidemq́; diebus
D ecubui, duro recubans moribunda cubili.
Vnde hic durus amor mihi uenerit accipe Luna.

Iam mihi corpus erat pallenti debile thapſo
Pallidius, prorſumq; leues cecidere capilli,
Et cutis exanguis nudis uix oßibus hæſit.
Quas ego non ſcrutabar anus, quas poſſe putarem
Carminibus miſero medicamina ſubdere morbo?
Sed nihil hoc leniora mali contagia ſenſi.
Interea curſu ceu præpete tempus abibat.
Vnde hic durus amor mihi uenerit accipe Luna.
Protinus hæc famulæ nimiũ quoq; uera loquebar:
Heus agedum duri mea Theſtyli quære doloris
Curam aliquam, qui a me totam nunc Myndius iſte
Poßidet, & miſeram curis ingentibus urit.
Ad Timageti tu nunc digreſſa palæſtram
Obſerua, nam ſæpe illic uerſatur oberrans.
Vnde hic durus amor mihi uenerit accipe Luna.
Illum ubi conſpicies abeuntem, & nota palæſtræ
Limina linquentem, tacitè innue, & iſta memento
Dicere: te Simætha uocat: ſi adducere poßis.
Hæc ubi dixiſſem, citius dicto illa profecta
Adduxit iuuenem formoſo corpore Delphim.
Quem ſimul aſpexi uenientem præpete planta,
Vnde hic durus amor mihi uenerit accipe Luna,
Obrigui niue frigidior, ſimilisq; pruinis

Humidus ex tota ſudor mihi fronte fluebat.
Iam quoq; lingua ſtetit: nec tantum uocis habebã,
Quantum chara uocans in ſomnis filia matrem.
Pallenti ſimilis bullæ iam tota colorem:
Vnde hic durus amor mihi uenerit accipe Luna.
Hic me ille aſpiciens, in terram lumine fixo,
In lecto aſſedit blanda ſic uoce profatus:
Præueniſſe quidem tu me Simætha uideris,
Hæc in amica uocans tua nunc me limina, tantum,
Quantum ego formoſum curſu præuerto Philinũ.
Vnde hic durus amor mihi uenerit accipe Luna.
Veniſſem nanq; ipſe, per ipſa Cupidinis arma
Tertius, aut quartus ueniſſem nocte futurus
Ipſe tibi qualem non dedigneris amicum,
Inq; ſinu placido Bacchi ſacra mâla tuliſſem,
In capite Herculea geſtans de fronde coronam
Populeam, cingens ueſtiſſet purpura circum.
Vnde hic durus amor mihi uenerit accipe Luna.
Quòd ſi me admiſiſſetis, laudandum & amicum
Feciſſetis opus, quia dicor & ipſe probatæ
Et facilis iuuenes inter bonitatis athletas.
Atq; ita concubitus ue tuos, aut oſcula ſaltem
Sumpſiſſem formoſa, aliò ſi forſan amantem

Me repu-

M e repulissetis: sera si præfixa fuisset,
L ampadas huc adduxissem cunctasq́; bipennes.
Vnde hic durus amor mihi uenerit accipe Luna.
N unc bone qđ Veneri prima hæc ego debeo, postq̃
T u me quo torrebar ab igne secunda leuasti,
O mulier tua grata uocans ad limina amantem
S emiustum miseré. Nam Vulcano Liparæo
S æpe superbus amor grauiora incendia miscet.
Vnde hic durus amor mihi uenerit accipe Luna.
E t castas terret furiarum uerbere Nymphas,
L inquentes thalamosq́; uiri calidumq́; cubile.
D ixerat hactenus ille: ego dudum credula, dextrã
I llius attingens in mollia strata reclino,
M ox calefiebat de corpore corpus, & ora
F eruebant solito uehementius, atq; id agentes
S uauiter alterno confundimus ora susurro.
E t ne chara diu nuger tibi Luna, per actum est
Quod summè placuit, cupidi quod in iuimus ambo.
H oc desiderium conceptum fouit amorem,
I urgia nec grauibus contraximus ulla querelis
A mplius, excepto quod heri turbauit amantem.
V enit enim mater nunc in mea tecta Philistæ
I llius illa meæ tibicinis, atq; Melixûs,

Quando hodie auroram rosei traxere iugales
Oceano, cœli ad fastigia prima relicto.
Quæ cum plura mihi, tum Delphida dixit amorem
Conuertisse aliò: sed seu puer ille fuisset,
Seu mulier, quam depereat, se scire negabat:
Sed tantum quòd amet, nimioq; offusus amoris
Aestuet ille mero, tandemq; ut abisset, & illi
Dixisset, se uelle fores ornare coronis
Illius, hæc mihi uera hospes uerissima dixit.
Et prius ipse ad nos persæpe uenire solebat,
Nobiscumq; olearia uasa relinquere Delphis:
Hæc est nunc bis sexta dies postquam ille recessit,
Nec rediit: fruitur ne alio securus amore
Oblitus nostri? cui nunc hæc philtra paramus.
Et certum excantare uirum est: si perget, & istis
Amplius afficiet curis, Plutonia quæret
Regna, domos pulsans Parcarum, & fata subibit.
Talia tamq; potentia pharmaca Cistula diues
Hæc tenet: Assyrio qđ habemus ab hospite munꝰ.
At tu nunc ueneranda uale, niueasq; quadrigas
Ad mare uerte tuas, duros perferre labores
Sicut constitui, ipsa feram: nunc pulchra colorem
Salue Luna, aliæ saluete & uos mihi stellæ,

Post axem

EIDYLLION III.

Post axem tacitæ ſubeuntia ſydera nocti.

ARGVMENTVM TERtij Eidyllij.

Inſcribitur Eidyllion hoc Aepolis, aut Amaryllis, ſiue Comaſtes. Introducitur enim quidam petulanter Amaryllida ambiens, non explicato tamen ipſius nomine. Vnde conijcere licebit, procantem illum Battum eſſe. Nam hunc proximo Eidyllio colloquentem facit Corydoni, & amorem ſuum, quo Amaryllida deperibat, prodentem. Videntur autem hæc perinde quaſi in Italia prope Crotonem Siciliæ urbem acta eſſe, unde & Amaryllida argumenti materiam fecit. Munera uerò amicæ laſciuus ille procus offert, mâla uidelicet & corollas, ut ab ea recipiatur iterũ. Atqui illa ne colloquio quidem dignatur ipſum. Itaq; miſere animo affectus, fato conſulere amori conſtituit. Carmen ipſum quidem laſciuum eſt, ac impotentis animi typũ mire repræſentãs. Porrò Tityri nomen alij paſtoris eſſe propriũ, alij Satyrum intelligunt. Nec deſunt qui poëtam ipſum ita laſciuire arbitrẽtur, ut quem σιμιχίδην (Apollonio teſte) appellant, eóq; alluſiſſe, quum ait:

ἦρα γέ τοι σιμὸς καταφαίνομαι. Verùm non obſeruata temporis ratione errare illos Munatius grãmaticus affirmat.

THEOCRITI AEPOLVS, VEL Amaryllis, qui & Comaſtes.

EIDYLLION III.

FOrmoſam aggrediar laſciuo Amaryllida cãtu,
Dum prope paſcentes errant in monte capellæ,
Quas bonus impellit mihi Tityrus: heus age noſtras,
Chare mihi ante alios mi Tityre, paſce capellas,
Viciniq; ſatis paſtas age fontis ad undam.
Hunc Libycum tamen, & coleatũ, & uellere toto
Albentem, quoniam cornu ferit ille, caueto.
O dilecta Amarylli, quid hoc tibi ſolus in antro
Deſeror, & neq; proſpiciens, ut nuper, amantem
Blanda uoce uocas? num nos odiſſe uoluptas
Eſt tibi? ſed facies laqueo ut mea guttura frangam.
An potius uideor tibi ſimius eſſe ſupinis
Naribus? & prono mea pectora tangere mento?
En uerò hæc tibi mâla decem, tua munera, porto,
Arboribus decerpta illis quibus ipſa iubebas,
Altera cras dabimus: nunc tu tamen aſpice, quantis
Conficiar penitus triſti ſub pectore curis.
O utinam, ſtridentis apis miſer induer alis:
Protinus inuolitem quæ tu colis antra, per herbas
Quæ te Nympha tegunt hederæ filicisq; comantis.

Nunc

Nunc scio quid sit amor, numen graue, scilicet illū
Nutrijt in syluis mater, sæuæq; leænæ
Præbuerunt mammas, qui me nunc urit, & intra
Viscera flammarum uirus iacit, intima pascens.
O uultu formosa, fero quæ pectore saxum
Tota refers, ô Nympha oculos frontemq; decoris
Nigra superciliis, age me complectere amantem,
Vt tibi quæ decuit dudum nunc oscula figam.
Vana licet fuerint, suauis tamen ipsa uoluptas
Oscula consequitur: quòd si nihil ipsa moueris,
Quam tibi nunc seruo pulchra de fronde coronam
Intextum pulchris hederæ de floribus albis,
Atq; apij gratum procul effundentis odorem,
In minimas facies propè me conscindere partes.
Hei mihi quid patior? cur tantum dura uocantem
Non audis? nunc ipse meo de corpore uestes
Abijciens maria alta petam, fluctusq; profundos
Insiliam, qua parte leues in gurgite thynnos
Obseruat, positis piscator retibus Olpis.
Tunc siquidem, quum me uiolentæ iniecero morti,
Plena erit illa tibi dudum sperata uoluptas,
Iandudum scio: sæpe quidem me multa rogante,
Num mihi fida fores, num me crudelis amares,

Haud mihi Telephilon percussum molle crepabat
In digitis, uerùm moriente exaruit herba.
Talia & Agrœò quædam uerißima dixit,
Quæ cribro diuinat anus, dum tempore meßis
Colligit elapsas spicas, quia totus amem te,
Tu uerò miserum spernas crudelis amantem.
Nunc tamen hãc pasco bis fœtam albamq; capellã,
Quam sibi iam toties Mermnonis Erithacis ultro
Filia deposcit, corpus pulcherrima nigrum:
Et certè feret, & quod tantum quærit, habebit:
Quandoquidem tu me multùm spe fallis inani,
Et tibi delitiæ sunt hæc ludibria nostri.
Sed salit en oculus dexter mihi: nunquid adibo,
Aspiciamq; sub hac cantans mea carmina pinu,
Respiciat si fortè meos miserata dolores?
Nanq; nec est, credo, totos adamantina sensus:
Et certè Hippomenes Atalantæ captus amore,
Mâla ferens manibus calida decurrit arena:
Quem uirgo interea rapido præuertere cursu
Vt uidit, perijtq; profundumq; hausit amorem.
Thessalica sed & ipse gregem deduxit ab Othry
Antiqua sub grata Pyli consepta Melampus,
Ipsaq; tunc iacuit charum complexa Biantem

Quæ

Quæ mater teneræ formosa erat Alphesibœæ.
P er montes sic nunquid oues dum pascit Adonis
F ormosam Venerem flammis peioribus ußit,
V sq; adeò ut neq; iam crudeli morte peremptum
D esinat iniectis amplecti diua lacertis?
I pse quidem felix multa mihi parte uidetur
E ndymion somno semper durante sepultus.
N unc etiam inuideo quòd poßidet Iasioni
T antum Amarylli bonũ, quantũ nõ ipse prophanus
C redere posse putem, sed me dolor urit, & atro
C onficit igne caput, nec tu mea uulnera curas:
N ec canit ulterius quicquam mea fistula, uerùm
H îc iam crudeli confectus morte iacebo,
I ngluuieq́; lupi rabida mea uiscera pascent,
H oc tua ut oblectes prædulci guttura melle.

ARG. IIII. EIDYLLII.

Bucolicum est hoc Eidyllion. Siquidem alternis inter se ac uicißim colloquuntur Battus caprarius, & bubulcus Corydon. Fingit autem Theocritus Corydonem Aegonis cuiusdam bubulci boues pascentem, quẽ ait ad olympiacum certamen à Milone palæstrita deductum, fortem scilicet existentẽ, ut illic pugnaret. Quæ quidẽ audiens Battus, boues eius deplorat: quippe ma-

lum sortitos pastorem, macieq; confectos. Atque eadem quoque apud Crotonem Siciliæ gesta finguntur. Porrò Milo uetustior fuit Theocrito: septima enim Olympiade lucta uicit, quum Theocritus circa centesimam Olympiada floruerit.

THEOCRITI NOMEIS.

Eidyllion IIII.

BATTVS ET CORYDON.

BAT. *Sic precor, ô Corydō cuiū pecus? an'ne Philōdæ?*
COR. *Nō, uerùm Aegonis, pascendū tradidit Aegon.*
BAT. *Clam'ne gregem totum sero sub uespere mulges?*
COR. *Non licet, obseruat senior me nempe, quòd illo*
Tempore lactentes summittit ad ubera pullos.
BAT. *Ipse autem non apparens quò se abstulit Aegon?*
Quam'ne petit, cuius'ue abijt regionis in oram?
COR. *Hunc Milo hinc abiēs abduxit ad Elidis amnem.*
BAT. *Ecquando ille oleo uidit certare perunctos?*
COR. *Viribus, & pulchra specioso in corpore forma*
Amphitryoniadæ dicunt contendere magno.
BAT. *Et me mater ait magno Polluce priorem.*
COR. *Nunc tamen ille abiens bis denos extulit agnos,*
Nodosumq; manu portans uictrice ligonem.
BAT. *Ergò lupis etiam Milo persuadeat ipsis*

Vtra-

V t rabiant, mox in rabiem coniecerit omnes.
Nūc tamen hæ illum procul hinc abijsse iuuēcæ COR.
T estantur mugitibus, absentemq́; requirunt.
O miseras, quæsisse malum potuere magistrum. BAT.
Nempe satis miseras, desiderio illius ægræ, COR.
G ramina non carpunt, nec pabula nota requirunt.
Illius ipsa quidem superant uix ossa iuuencæ. BAT.
N unquid ut æstiuæ rorem sub sole cicadæ
A ëreum gelidas depascitur illa per herbas?
Non equidē, nam sæpe uirentis ad Aesaron altū COR.
G raminis in campum duco, atq; è mollibus herbis
F asciculum obijcio, nunc alto iuncta Latymno
P rata colit, teneraq́; salax lasciuit in herba.
Fuluus & hic macer est taurus, popularibus illū BAT.
O ptem Lampriadæ contingere sacra daturis
F ercula Iunoni, populo sine fruge & inerti.
Atqui nunc gelido sequitur uicina Malimno COR.
P ascua, & intonsi fruticosa cacumina Physci,
H erbidaq́; undosi Neæthi littora seruat,
P ulchra ubi prata nouo pubescunt omnia cultu
A egipyrumq́; ferunt, & odoriferam Melitæam,
E t dulcem uiridi florentem germine Cnyzam.
Infelix Aegon, tibi nunc uictoria cordi est BAT.

Improba: at hæ sterili uaccæ morientur in herba,
Atq; hæc in cariem soluetur fistula, quam nos
Non ita uulgari quondam compegimus arte.

COR. Non, ita nos Musæ bene ament, nõ illa putrescet
Annosa carie: pulchra ad certamina Pisæ
Nanq; profecturus dono dedit optimus Aegon
Hanc mihi, quòd multa præstarem laude canendi:
Hac ego nunc doctæ decanto carmina Glaucæ,
Hac quicquid Pyrrhus cecinit, claramq́; Crotonẽ,
Laudibus & pulchrã celebro ueterẽq́; Zacynthũ,
Littoraq́; Aeoum protensa Lacinia in Eurum,
Littora quæ iuxta nuper fortißimus Aegon
Bis quater eualuit denos commandere panes,
Solus & ingentem rapuit de monte iuuencum
Aërio, traxitq́; manu, pedibusq́; prehensum
Donum Amarylli tibi tulit, hunc uidere puellæ,
Ingentemq́; aliæ clamorem uoce dederunt.
Ille autem ridens, animo lætatus abibat.

BAT. O formosa Amarylli, animæ pars maxima nostræ,
Nulla tui nostrum possunt obliuia pectus
Ne post fata quidem subitæ capere ultima mortis,
Quàm mihi sunt gratæ, mea gaudia sola, capellæ,
Tam dolet illa mihi quæ te mors tristis ademit.

Eheu

E heu quàm tristi genio me fata tulerunt.
Batte malis etiam confidere rebus oportet. COR.
Cras meliora dabunt superi fortasse benigni.
Omnibus in rebus uiuis sperare relictum est:
Lumine nam uitæ functis spes nulla medetur.
Nubibus obscuris nunc Iuppiter aëra turbat,
Nunc iterum claro cœlum splendore serenat.
Fido equidem, sed tu uitulos age reijce ab istis BAT.
Quas auidè carpunt oleis, & germina lædunt:
Huc age cultorum populator perge Leparge.
Huc Cymætha ueni, collẽ pete: nunqd obaudis? COR.
Iam propere ueniam, tibi præmia iusta daturus:
Si minus, inde abeas, retro tamen ecce reserpit.
Si mihi nunc nodosa pedi sint robora duri,
Vt tua multiplici castigem uerbere terga.
Aspice me Corydon, proh Iuppiter, acta sub imũ BAT.
Spina pedem, duro traiecit uulnere talum.
Ipsa igitur pereat, quam dum sequor ipse iuuencã,
Incauto miserum pede spina offensa momordit.
En tibi, nempe ipsa, quæ te isthac cuspide læsit, COR.
Vnguibus hanc teneo, spina est hæc ipsa profectó.
Quantus ego uir ab exiguo nũc uulnere uincor. BAT.
Montes ergo petens iterum, ne Batte relinquas COR.

Defendisse pedem nudum quæ poßit, alutam:
Plura etenim crescunt spineta in montibus altis,
Et niueo aspalathi uirides in flore comantes.
BAT. Dic Corydon, an adhuc senior molit ille puellã,
Illam palpebras graciles & lumina nigram,
Illam quam nimio quondam malè prurijt æstu?
COR. Nempe ita: nanq; superueniẽs ego nuper anhelũ
Incumbentem operi salebrosi in fornice saxi
Conspexi, & tacito deprehendi furta sub antro.
BAT. O ætate hominem tam decrescente salacem,
Aut tua progenies Satyrorum à gente profecta est,
Aut crura exigui mittunt tua semina Panes.

ARGVM. V. EIDYLLII.

Eidyllium hoc αἰπολικὸν ac ποιμενικὸν inscribitur. Colloquuntur enim inuicem in Italia opilio & caprarius. Estq; magis dramaticum, quũ nullum poëtæ persona locum habeat. Cæterùm caprarij nomen Comatas, qui & Eumaræ pastoris Sybaritani pascit capras. Opilionis autem nomen est Lacon, qui Thuriæ Sybaritæ pecora pascit. Habet uerò Comatas puellam adamatam sibi, Alcippen nomine, at Lacon Eumeden adolescentem. Ergo de cantandi peritia cõtendentes, mutuò sese prouocant, ac uictoriæ præmium constituunt: caprarius quidem hircum, agnum uerò opilio: Morsonemq; carminum iudicem deligunt. Itaque finito

nito certamine, Morson arbiter caprarium uictorem pronunciat, unde is gloriabundus capellas alloquitur, & hirci in capras impetum inhibere conatur, sacrificium uictoriale Nymphis instruens.

THEOCRITI HODOEpori. Eidyllion V.

LACON ET COMATAS.

ITe procul, fugite hunc furem Lacona capellæ CO.
Pastorem Sybaritanum: nanq; is mihi pellem
Sustulit insidijs hesterna luce caprinam.
Non à fonte meæ fugitis, quē nunc tenet, agnæ, LA.
Furatus nostram nuper syringa Comatas?
Quā syringa mihi memoras, dic serue Sybartæ, CO.
An tibi qua caneres fuit unquam fistula? uerùm
Cur tibi, quum calamo sit fistula facta palustri,
Non satis est misero Corydona lacessere cantu?
Hanc nobis dedit ipse Lycon liberrime, uerùm LA.
Dic mihi quo'ue ierit, quá ue est à parte profectus
Lacon, quando tulit tua uellera pulchra Comata?
Nanq; nec Eumaras tantum possedit, ut esset
In quo uel placidam posset cepisse quietem
Ille tui dominus gregis: & quæ uellera iactas?

CO. Quod Crocylus dedit ipſe mihi uariantibus albū
I nſperſum maculis, Muſis quum ſacra capellam
P oneret, hoc ubi conſpiceres peruerſè dolebas,
N unc linquis placido ſpoliatum tegmine pellis.

LA. Non, per arenoſo uerſantem in littore Pana,
N on ego te placidæ ſpoliaui tegmine ueſtis,
L acon filius ille Calæthidis: aut ego præceps
D e rupe inſiliam ſubiectum in Crathidis amnem.

CO. Nō equidē, nō per Nymphas ſacra ſtagna colen-
N on ita me ſeruent ipſæ, uideantq; uocantem, (tes.
N on illam tibi ſubtraxit ſyringa Comatas.

LA. Si tibi credidero, flammis crudelibus urar
D aphnidis: interea ne detrectaueris hœdum
P onere, & alternis tecum certabo camœnis,
I ngenium donec conſumas omne canendo.

CO. Immundo doctam ſus prouocat ore Mineruam:
E cce tamen neq; detrecto: tibi ponitur hœdus.
V erùm age tu pinguē pone, & certabimus, agnū.

LA. Qua ratione, precor, poterint hæc æqua uideri
I mprobe, quis'ue pilos pro lana carpſerit unquam?
A ut quis, primiparæ quum poßit lactea capræ
V bera, degenerem cupiat mulſiſſe catellam?

CO. Qui ſe poſſe putat uicinum uincere, ut ipſe

Argutam ſtridens contra mala ueſpa cicadam.
Sed tibi nec poſito pro pignore ſufficit hœdus,
Ecce bonum, iam nunc certa, tibi ponimus hircum.
Ne nimium propera, non ureris igne Comata, LA.
Hîc meliora canes oleaſtrum ſubter amaram,
Hæc iuxta nemora, irriguis ubi frigida riuis
Vnda fluit, creſcuntq́; toris in mollibus herbæ,
Vocibus & querulæ uernant in flore locuſtæ.
Nil equidem propero, quem tu ſi lumine recto CO.
Conſpicere audebis mirabor, eritq́; moleſtum,
Plurima quem docui quondam puerilibus annis,
En memor, illius quo ſerpit gratia facti?
I nunc ergo canum catulos nutri atq; luporum,
Vt quum nutrieris comedant tua uiſcera adulti.
Quãdo ego te didici, quæ ſit meminiſſe, magiſtro, LA.
Seu bona, ſeu mala, quæ nobis tu plurima iactas,
Inuide ſic, minimeq́; decẽs & homuncule praue?
Quando ego pulſabam duro tua terga flagello, CO.
Ipſe dolore tenebaris, iuxtaq́; capellæ
Balabant, ipſasq́; hircus terebrabat adulter.
Sic tua quàm mea mẽbra profundius oſſa tegãtur, LA.
Vt mea quo iactas tetigiſti terga flagello.
Huc tamen, huc age ſerpe, ad me cõcede Comata,

V ltima bucolico fundes hîc carmina uersu.

CO. Nō ueniā, sunt hîc patulæ bona robora quercus,
H îc dulces fecere sedilia grata cyperi.
D ulcibus hîc resonant apiaria mellea bombis,
H îc ubi frigentis fontes duo grandibus undæ
E rumpunt uenis, densáq; sub arbore cantu
D ulce loquuntur aues uario, nec gratior umbra est
I llius ista loci: sed & hæc mihi proxima pinus
D esuper aërea nucleos è uertice mittit.

LA. Atqui si uenies, depexi in mollibus agni
P ellibus accumbes, somno & plus mollia lanæ
V ellera calcabis, te peius olentibus ipso,
P ellibus hircorum tua pulchra sedilia sternis.
I pse nouem statuam magnum cratera Camœnis
L acte redundantem niueo, iuxtáq; reponam
M ox alium prædulci olei liquamine plenum.

CO. Huc tu si uenias tenera lanugine multa
C alcabis filicem, multúmq; uirentis odoros
P ulegij flores, substernam deniq; pelles
C aprarum bis terq; magis, quibus ipse superbis,
P ellibus agnorum molles, bis quattuor inde
C onstituam situlas magno libamina Pani,
L acte mero plenas, totidem plenos redolenti

Melle

Melle scyphos, plenumq; fauorum nectar habentes.
Illinc ergo canas, illinc age carmine certes LA.
Bucolico, pellesq́; tuas quercusq́; teneto.
Sed quis erit qui nos dijudicet? huc mihi tandem
O utinam ueniat pastor de monte Lycopas.
Illius haudquaquam indigeo: sed si libet, istum CO.
Non procul hîc conuecta secantem ligna uocemus,
Findendas qui de sylua comportat ericas:
Et certè uir is est, forma est mihi cognita, Morson.
Clamemus. C. quin ipse uoces. L. huc hospes ad- LA.
Huc uenies nos certātes audi optime Morsō, (esto,
Bucolico sit uter præstans in carmine cantor:
Nec mihi tu quicquam ceu gratificeris amico,
Nec tua profuerit censura benignior isti.
Certè per Musas Morson nec tu mihi quicquam CO.
Plus opis adtuleris, nec gratificeris amico,
Grex uerò hic ouium Thurini est, iste Sybartæ,
Hæ sunt Eumaræ quas cernis amice capellas.
De grege nunc isto uerbum te nemo rogauit, LA.
Siue meum fuerit, siue illud ouile Sybartæ,
Neglecto mihi fine loquacior esse uideris.
Heus bone tu quid ais? siquidē uera omnia narro, CO.
Et neq; glorior, ipse quidem mordacior æquo es.

LA. Eia age si quid habes, uiuum dimitte rogamus
A d ciues Morsona suos, effare Comata,
M ulta es iò Pæan sine pondere uerba loquutus.
CO. Ipse me cantore probant plus Daphnide Musæ,
H is ego iam tenera mactaui à matre gemellas.
LA. Et me Phœbus amat multũ, cui nũc mihi pinguis
P ascitur hic aries, dum carnea sacra propinquant.
CO. Hæ geminos pariũt, præter duo corpora, capræ,
O mnes uirgo uidens, inquit, miser ipse ne mulges?
LA. Bis denos Lacon calathos propè mollibus implet
C aseolis, puerumq; impubem in gramine uersat.
CO. Mâlis me Clearista petit, dum forte capellas
P ropello, & dulci suaues canit ore susurros.
LA. Et me leuis amat Cratides, facit ille furentem
O buius, ut tenero mota est coma pendula collo.
CO. Sed neq; contuleris spinas cum flore rosarum,
Qui prope fertilibus sepes nascuntur in hortis.
LA. Sed neq; deciduas glandes Orimalidos æquant:
I llis nam fragilis testa est, hæ mellicomantes.
CO. Ipse meæ dominæ mittam sua dona palumbum,
E x hac iunipero capiens: nanq; insidet illi.
LA. In chlænã Cratidi uellus dabo molle parandam,
H uic simul abstulero peculi nigrantia terga.

Hinc

Hinc diſcedite ab hoc oleaſtro, huc ite capellæ, CO.
P aſcite ad accliuem tumulum facilesq; myricas.
Nunqd abis? quercũ fuge Conare, perge Cynæ LA.
P aſcite ad has partes oriẽtis ut ille Phaler⁹. (tha,
Eſt ingens crater, ſitula eſt cypariſsina nobis: CO.
P raxiteles fecit, noſtræ hæc dabo dona puellæ.
Eſt mihi fida ouium cuſtos canis, atq; luporum LA.
D euictrix, puer hac agitabit luſtra ferarum.
Quæ mea rorilegæ tranſitis ſepta locuſtæ, CO.
N e mihi maturas corrodite morſibus uuas.
Vos ô uocales ut ego hunc irrito cicadæ, LA.
S ic uos nunc calamos cantu irritate legentes.
Odi caudatas uulpes, quæ cuncta Miconis CO.
S emper oberrantes populantur ueſpere ſero.
Ipſe malos odi ſcarabeos: nanq; Philondæ LA.
A rrodunt ficus, uentoq́; ferente recedunt.
Num memor es, quo te pulſarim uerbere? ridens CO.
L ene mouebaris, quercumq́; hanc ipſe tenebas.
Haud equidẽ memini, ſed quo te uerbere uinctũ LA.
C ontudit Eumaras, hoc nempe Comata recordor.
Sentis'ne ô Morſon? hic atra bile mouetur. CO.
S quillas à uetulæ uadens mox uelle ſepulchro.
Ipſe quoq; his uerbis quendã nũc uellico Morſon. LA.

I nfode nũc rapidũ cyclaminũ in Alenta ꝑfectus.

CO. Himera lacte fluat, non unda: tu quoq; Crathi
V ino omnis rubeas, fructum Sia mollia portent.

LA. Melle fluas Sybariti mihi, quo mane puella
V rceolos urnasq; fauis, non flumine tingat.

CO. Aegilon & cytisum carpunt, mea cura, capellæ,
L entiscumq; terunt per mollia fraga iacentes.

LA. At nostris ouibus Melitææ pascitur herba,
E t multæ florent hederæ ceu texta rosarum.

CO. Nõ amo ego Alcippen, quoniã dedit oscula nulla,
Quando dedi placidum, sed uellicat aure, palumbũ.

LA. Verùm ego amo Eumeden, cui quũ syringa sonorã
P orrigerem, cupido dedit oscula multa uicissim.

CO. Non fas lusciniæ picas contendere contra,
N ec cygnis epopas, sed tu mala iurgia quæris.

MOR. Hunc igitur iubeo à cantu cessare Comata,
H anc tibi cõtribuens agnã, quã munera Nymphis
Quando feres mactans, mactatæ mittere partem
M orsoni cures sapidæ de munere carnis.

CO. Transmittã per Pana, fremat nũc uocibus omnis
H ircorum grex, ecce autem ridebimus ipsi
P astorem Lacona, quòd hoc certamine tandem
C arminibus nostris quæsitus cesserit agnus.

Nunc

Nunc ego ſublimi contingam uertice cœlum.
Cornigeræ nunc ergo meæ ſperate capellæ,
Cras ego uos omnes Sybaritidos amne lauabo
Rupis: at ô ſi quam conſcenderis albe capellam
Qui cornu petis, ante ferã quàm munera Nymphis,
Hunc agnum plagis onerabere: ſed ſalit illam
Ecce iterum. quòd ſi non te nunc improbe multis
Fuſtibus accipiam miſere, nihil ipſe recuſo
Demens pro cantore Melanthius eſſe Comata.

ARGVM. VI. EIDYL.

Damœtas & Daphnis meßis tempore circa meridiem in unum locum pecora cogunt, & alternis materiam de Cyclope canunt. Inter quos Daphnis exordio cantilenæ ſumpto, ueluti Cyclopem alloquitur, ex cuius perſona, Polyphemi ſcilicet, Damœtas reſpondet. Res in Sicilia geſta. Diſputat autem Poëta cum Arato, cuius etiam in Thalyſijs meminit, & alibi.
Ὥρατος δ' ὁ τὰ πάντα φιλαίτατος ἀνέρι τήνῳ.
Et iterum: Μηκέτι τοι φρουρῶμες ἐπὶ προθύροισιν Ἄρατε.
Poteſt autem Aratus is eſſe Poëta, cuius etiamnũ Phænomena extant.

Damœtas & Daphnis.

EIDYLLION VI.

PAstores duo Damœtas & Daphnis Arate
Cõpulerant armenta simul, iuuenilibus ambo
Florentes annis: tenera hic lanugine rufus,
Ille genas primo uestitus flore iuuentæ.
Iamq; dies medias æstiua reduxerat horas,
Consedere alacrem iucundi fontis ad undam,
Instructi pariles in mutua carmina auenas.
Primus ab hoc orsus sic cœpit carmine Daphnis:
DAP. En tua coniectis attingit ouilia pomis,
Difficilẽ Galatea uocans Polypheme in amore,
Quisquis agit teneras per frondea lustra capellas:
Nec tamẽ interea hanc miser, heu miser aspicis, atq;
Dulce sedens tremula modularis arundine carmen.
Rursus at illa canem crebro diuerberat ictu,
Quæ te pascentem sequitur, custodiet ipsas
Quas tu pascis oues, sed enim latrat ipsa propinquũ
In mare prospectans, & reddit imaginis umbram
Illius extrema currentis in æquoris ora,
Fluctibus unda tumens paulatim lenibus, at tu
Prospice, ne frendens in eburnea crura puellæ

Irruat

I rruat aſſueta maris egredientis ab unda,
D ilanietq́; cutis pulchrum & ſine labe colorem.
N unc tamen illa in te ſic deliciatur, ut olim
S pina comis, quum pulchra nouis incanduit æſtas
S olibus, & cupidum fugiens te ſpernit amantem:
A uerſum petit & fugientem ſæpe moratur,
E q́; ſacra lapidem tabula mouet, ultimaq́; audet
O mnia moliri: ſed ſcilicet ô Polypheme,
Quæ minimè ſunt pulchra, ea pulchra uidẽtur amo
R eddidit huic ſuaui Damœtas talia cantu. (ri.
Vidi equidem noſtro quum poma iniecit ouili, DAM.
E t neq; me latuit, per Pana, per hunc tibi iuro
V nũ in fronte oculũ, qui nũc uidet omnia, deinceps
O mnia uiſurus: nam quæ mihi peſſima dicit
T elemus, illa domum uates ferat omnia ſecum,
C onſeruetq́;, ſuis ueniant ut talia natis.
S ed tamen hanc etiã ſtimulis ago, nanq; nec ipſam
A ſpicio, atq; aliam fingo mihi adeſſe puellam.
H oc ubi fama illi leuis attulit, ardet, & amens
Quàm furit ô Pæan, quantum tabeſcit ab imo
A equore proſpectans, oculoſq́; ad ouilia flectens,
L uſtrat & aſſuetis ſecreta cubilibus antra.
E rgo canem reuocans hanc allatrare uetabam:

N anq; illi, toto quum pectore nuper amarem,
B landa fuit, roſtrumq́; ſinus immerſit in altos,
A lluſitq́; meæ canis officioſa puellæ.
H æc igitur quum me facientem ſæpe uidebit,
F orſitan illa preces & uerba rogantia mittet:
S ed fruſtra: nanq; ipſe fores & limina claudam,
D onec ſe noſtro iurarit amore teneri,
S traturamq; mei iucunda cubilia lecti,
H ic breuis æquoreo qua tunditur inſula fluctu.
E t neq; deformis tam ſum quàm dicor: in unda
N uper enim uidi ipſe meos è littore uultus,
Q uum nulli flarent tranquilla per æquora uenti:
F ormoſæq́; genæ fuerant, formoſus & ipſe
V nicus hic oculus, me iudice, deinde uenuſti
E t niuei Pario certabant marmore dentes.
T unc ego ne caperer propriæ ſub imagine formæ,
T er ſecreta ſinus tetigi ſputamine noſtri:
S icut anus docuit nos iſta Cotyttaris olim,
Q uæ clari cecinit meſſoribus Hippocionis.
Talia Damœtas ubi concinuiſſet, ad ipſum
C onuerſus Daphnin libauit ut oſcula, utrunq;,
V ocales calamos hic, ille ſyringa, dederunt.
V t uerò modulis cecinerunt ſuauibus ambo,

Damœtas calamis, ſyringa Daphnis acuta,
Armenta in molli ſaltabant protinus herba.
Tam pulchro tamen hoc neuter certamine uicit,
Muſarum arte pares: inuicti nanq; fuerunt.

ARGVM. VII. EIDYL.

Titulus Eidyllij huius eſt Thalyſia, res in Coo inſula acta. eò enim peregre profectus Theocritus, quũ ad Ptolemæum regem conceßiſſet Alexandriã, à Phraſidemo & Antigene Lycopei filijs in amicitiam receptus eſt, uocatusq; in agrũ ab ijſdem ad Thalyſia Cereris poſt importatos fructus feſta, cum Eucrito & & Amynta unà proficiſcitur. Enumerat igitur quomodo in itinere forte fortuna inciderit in Lycidem Cydonienſem ex Creta, quidq; inter ſe mutuò de ſuis ſcilicet amoribus contulerint. Siquidem Lycidas pueri cuiuſdam Mitylenæi amore tenebatur, Ageanactis nomine, nec minus Myrtoa deperibat Theocritus: tandem hic à Lycida pedum dono accipit, quod λαγωβόλον poëta uocat: ſicq; demum à ſe diſcedunt inuicem.

THEOCRITI THALYSIA, *uel Hodœporicon uernum.*

EIDYLLION VII.

Tempus erat, curis quum nuper & urbe relicta
Tecta petebamus uicino proxima Alenti
Eucritus, & mecum qui tertius ibat Amyntas,
Annua quum Cereri Phrasidemus sacra pararet
Et simul Antigenes, fratres duo, patre Lycopeo,
Et genere illustres, & ab ipsis deniq;, si quid
Res habet ista boni, Clytia et Chalconte profecti,
Ipso qui fontem Burrhinam euexit ab imo
Difficili enixus fastigia ad ista labore:
Quem iuxta teneræ assuetæq; paludibus alni,
Atq; ulmi graciles folijs ceu crine comantes
Formosum nemus intexunt frigentibus umbris.
Necdum fortè uiam mediam perfecimus, & nec
Apparebat adhuc Brasilæ sublime sepulchrum,
Ecce uirum nacti conuenimus inter eundum,
Quem Musæ docuere: Cydon dedit inclyta mater,
Nomen erat Lycidæ: patrio de more solebat
Pascere scandentes semper iuga summa capellas,
Quem nemo inspiciens queat ignorasse, quòd esset
Omnia pascenti similis: nam corpora totus

Tectus

Tectus erat rufis uillosi pellibus hirci,
Prima noui dicas redolere coagula lactis,
Pectora sed ueteri districtus fortia peplo,
Costarum latam subduxit ad infima zonam:
At grauis in dextra nodosæ robur oliuæ
Claua fuit, tum sic placido ridentia uultu
Lumina demittens, tamen intra labra decorum
Astringens risum: quò te nunc proripis, inquit,
Simichida? quò te ducit uia tempore quo nunc
Sol medium cœli cūrru ferit igneus orbem,
Et uirides recubant subter consepta lacerti,
Nec sua luctificis caßitæ funera plangunt
Vocibus? an forsan preciosæ ad fercula cœnæ
Festinas? an calcandum ad torcular anhelas?
Saxa quidem celeri sic proteris omnia cursu,
Vt gemitu resonent crebro pedibusq; resultent.
Huic ego: quādoquidē Lycida charißime fama est,
Vincere pastores omnes te posse canendo,
Perq; agros paßim flauentia farra metentes,
Quæ fama est animo longè gratißima nostro:
Quanquā spero equidem tibi me fecere Camœnæ
Aequalem, nisi me falsum sententia ludit.
Hæc uerò ipsa uia est, hæc ipsa Thalysias, ergo

H oc ſolenne uiri curabunt munus amici
I uſtaq; honoratæ Cereri conuiuia ponent,
P rimitiasq́; dabunt opulenter, & omnia ſoluent:
N anq; referta dedit deus ipſis horrea plenis
M eßibus, & pinguem penſauit frugibus annum.
V erùm age quandoquidem uia nos, cõmunis euntes
A ccipit, & lux eſt eadem nobisq́; tibiq́;,
B ucolicum cantemus: habent & carmina multum
Q uod iuuet, hinc nobis aliqua eſt uentura uoluptas:
E t mihi blandiloquum dedit os in carmina Muſa,
E t me paſtores cuncti dixere poëtam,
O ptima qui cantem: ſed ego non credulus illis,
I udice me, nec enim Siculum deuicero uatem,
Q ui Samon incoluit, neq; Coi pulchra Phileti
C armina, ſed uerè mea carmina talia dicas,
Q ualia ranarum fuerint collata locuſtis.
H æc ubi dixiſſem, Lycidas ſubriſit, & inquit:
M uneris ergo loco, quo dignus es, accipe clauam
H anc tibi, iam certè es natum Ioue germen ab ipſo,
E t mihi non unquam placuit faber Oromedonti,
Aequalem ſtruxiſſe domum qui fortè laboret,
O di & Muſarum uolucres, mala nomina, quaſdam,
Qui Chium ſtudeant uatem ſuperare canendo,

Dum contrà ſtrepitent uano coccytides auſu.
Verùm age bucolicos repetamus carmine cantus
Simichida, cognoſce igitur, ſi fortè placebunt
Carmina quæ patrio iandudum in monte coëgi,
Nauibus Ageanacta ferentibus in Mytilenem:
Curſus erit bonus & uenti proſperrima flantes,
Occiduis etiam tumidas ſi forſan ab oris
Impulerit niger Auſter aquas, licet altus Orion
Extiterit pedibus ſuper æquora ſumma leuatis,
O utinam Ageanax me liberet ipſius ægrum
Quem Venus ardentē coquit ignibus, ô mea ſaltem
Vulnera conſpiciens duro medeatur amori,
Fluctibus Halcyones ſternent cædentibus æquor,
Atq; Notum atq; Eurū, extremas q cōmouet algas:
Dilectæ Halcyones Nymphis Thetidíq; marinæ
Præ reliquis, quæcunq; aliquos ex æquore prædas
Conſectantur aues, portantes in Mytilenen
Ageanacta meum naues, atq; omnia eunti
Tempeſtiua ferant, placidumq; attingere portum.
Luce illa noua ſerta geram, uel olentis anethi
Liliá ue alba roſis contexta rubentibus addam,
Atq; meo uiridem faciam capiti inde coronam.
Inde hæc uina bibam pateris Pteleatica plenis

Ante focum residens: aliquis mihi grata fabarum
Segmina de socijs calido torrebit in igne:
Lectus erit uerò uarijs densißimus herbis,
Cnysáq; asphodelóq; reflexibiliq; selino:
Suauiter ipse bibam chari memor Ageanactis,
Euacuans plenis toto crateras Iaccho,
Donec in allapsis immergam fecibus ora:
Pastores duo cantabunt, quorũ hic sit Acharnan,
Ille Lycopites: sed & hic mihi Tityrus ipse
Cantabit, Daphnis quibus ignibus arserit olim,
Quando peregrinæ flagrauit amore puellæ,
Vt miser errarit montesq; & inhospita circum
Culmina, ut aëreæ quercus stridoribus illum
Deflerint querulis, remorantibus Himera cursum
Nymphis, quæq; uagũ ripis nascuntur ad amnem,
Quando miser nimio totus contabuit æstu,
Vt nix qui summi de uertice liquitur Hæmi,
Siue comantis Atho, Rhodopes ue niuosa fluentis
Culmina, Caucaseas uel agentibus imbribus arces,
His addet quibus ille latentem regis ob iram
Artibus indiderit furtiuis Aepolon arcis,
Dulcia ut intulerint cedrinæ ientacula cistæ
Simæ nuper apes è florum mollibus herbis.

Illius

Illius idcirco nectar fundebat ab ore
Musa canens, ô felicem te diue Comata,
Tam iucunda quidem tibi contigit ista uoluptas.
Pastus apum studio cedrina conclusus in arca
Perficis aëriis totum nutricibus annum.
O utinam tua uita meos uenisset in annos,
Per iuga pauissem pulchras tibi summa capellas:
Pinibus interea iacuisses sæpe sub altis,
Aut gratas pecori facturis quercubus umbras
Carmina grata canens Musis diuine Comata.
Hæc ubi concinuit, facto tum fine quieuit.
Cui tum rursus ego: Lycida bone, me quoq; Musæ
Multa quidem docuere, alti iam cognita fama
Ante thronum Iouis, è quibus hoc tu nobile pronis
Auribus auscultato, tuo damus illud honori.
Simichidæ infaustum læua de nare Cupido
Sternuit, ille quidem Myrtus miser ardet amore,
Quantum ueris amant simæ noua pabula capræ.
Verùm illi interea multùm dilectus Aratus
Ardentes tacito depascitur igne medullas,
Formosiq; miser pueri tabescit amore.
Optimus hunc ignem iandudum nouit Aristis,
Carmina quem citharæ cantu iucunda sonantem

A d ſacros tripodas non dedignetur Apollo,
V t miſer in puero uiuens moriatur Aratus.
V erùm age Pan Homolææ ſolum ſortite beatum,
E ffice ſponte ſua ueniat puer aureus illi,
S iue quis eſt alius, ſiue eſt tener ille Philinus.
H æc ſi præſtiteris Pan optime, nec tua duris
A rcades adfligent pueri femoralia ſquillis,
A ut humeros ſi quando parum de munere carnis
A ppoſitum eſt, uotumq́; puſilla ferina feſellit:
S in minus hæc dederis, laniatus corpore toto
N udus in urticis iaceas, in montibus altis
E donum uerſere grauis ſub frigore brumæ,
C ulmina qua gelidus Rhodopeia præterit Hebrus,
F ronte pruinoſa gelidam conuerſus in arcton.
Q uum uerò medios ſol ardentiſsimus æſtus
E xcitat, Aethiopum per prata calentia paſcas,
R upe ſub infauſta Blemiarum fronte carentum,
Q ua uagus in calidas Nilus ſe condit arenas.
A t uos ô pueri qui ſuaue rubetis amores,
P urpureis ſimiles mâlis, nunc linquite gratam
H yetidos dulcemq́; habitatæ Biblidos undam,
A ltaq́; flauicomæ Veneris delubra tenentes
F ormoſum iaculis configite & igne Philinum.

Hoſpitis

H ospitis ille mei quia non miseretur Arati.
M ollior ille Apij tenera lanugine pomi,
A tq; illi teneræ clamant persæpe puellæ:
O formose Philine, quid hic tibi inutilis æui
F los cadit, & primo tantum tibi desit ab ortu?
A mplius excubias nec nos peragamus Arate,
N ec toties pedibus nostris uia trita nocebit,
N e lædat crocitans Phœbi prænuncius ales:
Q uin alium potius quàm te mœrore molesto
A fficiat, sed in hac unus desudet arena
I pse Molon, placitisq; sibi affligatur in armis:
N os tranquilla quies maneat, tremulumq; susurrans
A dsit anus, mala quæ procul arceat omnia rauco
M urmure. tantum effatus eram, quum protinus ille
A rridens dat habere pedum, ceu munus ab ipso
M usarum hospitio magna cum laude profectum.
I lle uiam secat abscedens à parte sinistra,
A spera per uirides qua ducit semita buxos
E ucritus, & mecum qui tertius ibat Amyntas.
N ota petebamus Phrasidemi tecta beati,
M ollibus accepti secura per ocia lectis,
L entisci uirides, & adhuc noua pampinus aptos
C onstrauere toros, crispantes desuper alni

V mbrabant, placidis & plurima frondibus ulmus.
N ec procul hinc ſacro Nympharũ fontis ab antro
F luxerat allabens iucundo murmure riuus,
A eſtiuæ tenera fruticum ſub fronde cicadæ
R umpebant reſono ſtridentia guttura cantu:
A t procul in denſis ſpineta per aſpera dumis
D ulci quæq; ſuas iterabant uoce querelas:
A nte alias quæ paſſa nefas eſt ulta tyrannum,
E t querulum caſsita ſonans, & carmine turtur
L ugubri, fontes hinc atq; hinc, dulcia circum
A dſtrepuiſtis apes paſsim ſitientibus æſtu
F loribus atq; aruis, nihilo minus omnia nobis
D iuitis autumni ſuperabant munera: nanq;
I nnumera ante pedes pyra uoluebantur, abundè
A d latera, in terram depreſsi pondere rami
P runorum Syriæ quæ mittunt rura Damaſci.
A t uinum è dolijs deprompſerat ille uetuſtum
Q uattuor annorum fracta pice frontis opertæ.
S cilicet ô Nymphæ Parnaſia templa tenentes,
T ale fuit quod ad antra Pholi ſaxoſa dicauit
P hyllirides magno Alcidæ cratere ſuperbo:
T ale fuit quod quum biberet ſaltare coëgit
N obile ad undoſum paſtorem nectar Anapum

EIDYLLION VII.

M axima prævalidum Polyphemum saxa rotantem,
Qualia Pierides nobis tunc uina dedistis
S acra apud omnigenæ Cereris celebrantibus arã:
I llius ô iterum liceat defigere acernis
R ustica signa mihi, quo rideat illa feratq;,
F asciculos molles & rubra papauera quassans.

ARGVM. VIII. EIDYLLII.

Rem in Sicilia gestam continet. Ex poëtæ autẽ persona sermo est. Cæterùm de bucolici carminis palma cõtendentes inter se Daphnis bubulcus, & opilio Menalcas, arbitrum sibi deligunt αἰπόλον quendam caprarium: neq; enim eius extat hic nomen aliud: uictoriæq; præmium fistulas deponunt. Tandem uictor Daphnis, quũ probè admodum cecinisset, persuadetur à iudice Aepolo, ut se quoq; doceat. Quæ de Thalia, Daphnidi in uxorẽ locata, Pane ac Nymphis iudicibus, deq; Marsya lyricam à Daphnide edocto quidam addunt, quoniam non constant paucis, nec locus uacare mendo uidetur, in præsens ueluti ἀπροσδιόνυσα omittenda censui. Porrò genus carminis diegematicum est ac mixtum.

THEOCRITI BVCO- liastæ. Eidyllion VIII.

DAPHNIS ET MENALCAS.

Daphnida formosum gelida cõuenit in umbra
Aëreo qui pauit oues in monte Menalcas:
Ambo ætate pares tenera, flauentibus ambo
Crinibus, & pulchro docti contendere cantu.
Daphnin ibi inspiciens cœpit prior ista Menalcas.

ME. Optime bucolici custos gregis, huc age Daphni,
Num libet alterno mecum contendere cantu?
Posse meo uinci arbitrio te protinus aio.
Huic igitur tali respondit carmine Daphnis.

DA. Lanigerarum ouium custos argute Menalca,
Non tu certè aliqua me uiceris arte canendi,
Non si perpetuo rumpas tua guttura cantu.

ME. Vis igitur certamen obire, & ponere pignus?

DA. Et libet hoc certamen obire, & ponere pignus.

ME. Pignora digna satis quæ ponimus ergo canẽtes?

DA. Hunc ego depono uitulum, tu mollibus agnum
Velleribus pulchræ similem depone parenti.

ME. De grege non ausim quicquam deponere tecum:
Nam mihi difficilis pater est, & prouida mater:

Solis

Solis ad occasum numero pecus omne recensent.
Ergo quid in mediū ponis? quid uictor habebit? DA.
Est mihi pulchra nouem referens discrimina uocū ME.
Fistula, quam molles æqualibus undiq; ceræ
Connectunt nodis, & adhuc noua, fecimus illam
Iampridē his manibus, nunc si libet hāc tibi ponā:
Res ego non ausim sorti obiecisse paternas.
Est etiam nobis tot uocum fistula, ab omni DA.
Parte sibi æqualis, cera compacta tenaci,
A me facta etiam paulò prius: & mihi nuper
Hunc malè dissultans digitum confregit arundo,
Quem doleo: sed quis certaminis arbiter huius?
Ecquis erit sub quo uictoria iudice constet?
Quid si uicina seruantem in rupe capellas ME.
Aepolon, an partes uolet has obijsse, rogemus,
Albus ubi canis has agnas prope latrat & hœdos?
Tum, pueri quem uicina de rupe uocarunt,
Aepolus aduenit, iudex de lite futurus.
Postquam sorte data sortitus prima Menalcas
Munera cantandi, suscepit mutua Daphnis,
Tum prior arguta sic cœpit uoce Menalcas:
Valles & fluuij diuûm genus, antè Menalcas ME.
Si cecinit uobis quod placuisse queat,

H as placidè paſcatis oues: ſi uenerit autem
Daphnis habens uitulas, ne minus inde ferat.

DA. F ontes & uegetæ, plantatio nobilis, herbæ,
Si reddit Daphnis quod philomela canit,
H oc facite armentum pinguescere, forte Menalcas
Venerit, inueniat paſcua plena ſibi.

ME. O mnia tunc uernant, tunc omnia paſcua florent,
Omnia plena boues ubera lactis habent,
Quū uirgo huc formoſa uenit: postquā illa receſsit,
Flacceſcunt herbæ, paſtor, & omne pecus.

DA. T unc geminos pariunt ouis & capra, dulcia mella
Stipat apis, ramos altior arbor agit,
Quum uenit huc Milon formoſus: ut ille receſsit,
Paſtor & ipſe aret, marcet & omne pecus.

ME. V ir gregis ô hirti caper, ô luſtra inuia ſyluæ,
O ſimæ, ô hœdi, huc agite ite ad aquam.
H îc ille, i Cole Miloni dic, paſcere phocas
Protea deformes non puduiſſe deum.

DA. N on mihi ſit regnum Pelopis, non fulua talenta,
Non poſsim celeres anteuolare Notos,
S ed tecum canere, ac hœdos de rupe uagantes
Proſpicere, & Siculi cœrula regna maris.

ME. A rboribus mala peſtis hyems, ſitis arida terræ,
Squalor

Squalor aquis, ceruis retia, fiſcus aui:
P œna uiro muliebris amor: proh Iuppiter, ô rex,
Solus ego haud patior, tu quoq; amare ſoles.
T alibus hi pueri decertauere uiciſsim.
Queis iterum incipiens ſuperaddidit iſta Menalcas.
Parce hœdis lupe, parce etiã lupe matribus horũ, ME.
N e rogo me lædas ideo quia corpore paruus
T am multas ſequor, & per deuia paſcua duco:
O Lampure canis, quàm te nunc iſta profundo
S tertentem ſomno requies tenet, haud ita fas eſt
O bdormiſſe canem cui credat ouilia paſtor.
A t uos gramen oues & molli paſcite in herba:
N e'ue laboretis quando illa repubeat olim:
P aſcite paſcite oues, & ut ubera plena ferentes
L acte fouere agnos non deficiente queatis,
E t ſit quod calatho poſsit durante reponi.
H uic iterum tali reſpondit carmine Daphnis.
Hos tauros atq; has uitulas, me præter agentem DA.
E x antro conſpexit heri formoſa puella,
E t ueniant uobis feliciter omnia, dixit.
H uic ego nulla quidem reſpondi uerba, ſed ibam
D efixis in terram oculis, greſſumq́; tenebam.
D ulcis uox uitulæ, dulcis quoq; ſpiritus ipſe eſt,

Dulce quidem uitulus canit hic, & dulce canit bos:
Dulce etiam, suaues sub diuo carpere somnos,
Aestiuo sub sole fluentem fontis ad undam:
Ilicibus glandes, pomo sunt poma decori,
Vaccarum uituli, pastorum gloria uaccæ.
Sic pueri cecinere: sed & de rupe propinqua
Aepolus hac ipsos certantes uoce diremit.

AEP. Os tibi dulce deæ, uocemq; dedere canoram
Pierides ô Daphni, mihi te audire canentem
Multò præstiterit, quàm dulcia lingere mella.
Has igitur syringas habe, quas ipse canendo
Victor es emeritus, meritò & nunc solus habebis.
Quòd si non fuerit tibi me docuisse molestum,
Et si fortè uoles, quæ tam bona carmina cantas,
Hanc mutilam tibi Daphni dabo, non uile, capellã,
Doctrinæ precium, quæ semper & omnia mammis
Lacte redundanti distendit lacte profusis.
Daphnis ab hæc uelut in uiridi tener hinnulus her (ba
Ad matrem salit, atq; illo gauisus abibat
Indicio: sed mentis inops & mœstior alter
Lugebat ceu Nympha nouo data nupta marito.
Inter ab hoc igitur pastores tempore Daphnis
Primus habebatur, gratoq; potitus amore

Instituit

Instituit Nympha iuueniles coniuge lectos.

ARGVM. IX. EIDYLLII.

Res item in Sicilia acta. Nomeus pastor est, qui Daphnidem & Menalcam rogat, ut sibi mutuò cantando occurrant: nihil uerò habet aduersus Menalcam, præsertim Siculum illum. Tametsi non desunt, qui alium, Chalcidensem scilicet intelligant, quem aiunt, ob adamatam à se Cyrenensem Euippen, quum potiri ea non posset, suspendio amori consuluisse.

THEOCRITI NOMEVS VEL Bubulci. Eidyllion IX.

DAPHNIS ET MENALCAS.

Bucolicũ cane Daphni, sed et prior incipe cãtũ,
Incipe carmina prima, sequatur deinde Menal-
Ipsis interea uitulos submittite bobus, (cas.
Et uaccis nondum parientibus addite tauros:
Vt simul hi pascantur, & in crispantibus errent
Herbarum folijs, nec de grege prorsus aberrent.
Carmina tu uerò cane pastoralia Daphni
Hîc coràm, respondeat ipse aliunde Menalcas.
Dulce sonat uitulus, bouis est uox grata canẽtis, DA.
Fistula dulcis & hæc, & pastor dulcis & ipse,
Dulce canens tereti modulor sub arundine carmen,

Propter aquã gelidã uiridi mihi lectus in herba est,
Albarum pelles quem constrauere iuuencûm,
Quas Notus è scopulo deiecit mollia sæuus
Arbuta rodentes, uultuq; afflauit amaro.
Torrida ego æstatis tam curo tempora siccæ,
Quantum uerba iuuat natos audire parentum.
Sic Daphnis cecinit, sic reddidit inde Menalcas.

ME. Aetna parens, & nos uiridi recubamus in antro,
Hîc ubi sunt pulchri per concaua saxa recessus.
Tot bona poßideo, quot uel per somnia cuiquam
Apparere queant: mihi maximus est ouium grex,
Alta mihi innumeræ rodunt dumeta capellæ,
Ad caput atq; pedes pelles ponuntur ouinæ,
Pinguia ad aërijs congestum è quercubus ignem
Exta coquo, quem fagineis tunc nutrio lignis,
Quum mala uenit hyems, qui sic brumalia curo
Tempora, ut esse nuces duras edentulus, adsit
Dummodo decocti gratißima copia pultis.

His applaudebam mox ipse, & debita utriq;
Dona dedi, tibi Daphne bonam de robore clauam,
Quam patris ab radice mei produxit agellus
Sponte sua, quam nemo faber reprehendere poßit.
At testa haud fragili conchylia pulchra Menalcæ,

Cuius

C uius in Icarij captæ maris æquore carnes
I pse ego pastus eram, partes in quinq; resectas
C onuiuis totidem: tum protinus ille recepta
A rgutum resona cecinit testudine carmen.
Vos ô bucolicæ saluete ante omnia Musæ, ME.
E t mihi nunc faciles carmen concedite, quale
I pse prius cecini præsens pastoribus illis,
N e grauis in summa surgat mihi pustula lingua.
Formicæ formica placere, cicada cicadæ,
A ccipitri solet accipiter, mihi carmen, & ipsæ
P ierides, quibus optarim mihi semper abundet
P lena domus: nec enim mihi somnus dulcior ullus
O brepat qui sponte sua, nec tam mihi gratum est,
S i neq; sperati subita extent gaudia ueris,
N on apibus tam picta placent per gramina flores,
Quàm mihi sunt Musæ super omnia gaudia charæ.
N am quos aspiciunt illæ exhilarantq; uidentes,
L ædere nulla queant hos diræ pocula Circes.

ARGVM. X. EIDYLLII.

Incertum est quo in loco carmen illud dispositum sit. Milon uerò & Battus inter metendum sibi inuicem colloquuntur. Amat autem Battus cantricem puellam Polybotæ cuiusdam siue filiam, siue famulã. quamobrẽ

etiam Milon eum prouocat, uelut lentè metentẽ. Et Batto quidem suamipsius infamiam confitenti, quòd ob illius amorem parum animi compos esset, Milon acerbè cauillando illudit, amicam eius, quia nigra, tenuis, claudaq; erat, μάντιρ καλαμαίαρ, hoc est, locustã stipularem appellitãs. Ad quæ nihil arrogantius respondens Battus, non solùm cæcum esse Plutum, sed & Cupidinem dicit. Tandem adductus à Milone, cantilenam de amica sua inter metendum recitat, ea quoq; comprehendentem, quæ de Lytiersa Midæ filio narrantur, quẽ ob interfectos ab eo hospites, confecisse Hercules traditur. Itaq; finita cantilena collaudat Milon, quòd dignum operario carmen dixerit, & ut reliquum amoris sui diluculo matri exponat, hortatur.

THEOCRITI ERGATINAE, VEL THERISTAE.

Eidyllion X.

BATTVS ET MILON.

QVid nunc ærumnose tibi Bucæe sinistri
Contigit ô messor? quia non uelut antè solebas,
Ordine deducis recto noua farra metentes,
Nec simul incedis segetem tibi falce propinquam,
Sed longè sequeris uelut agnus ouilia, cuius
Cuspide spina pedem pungens discidit acuta.
Qualis eris mediæ quum uenerit hora diei,

Aut

A ut fugiens reuehet quum sera crepuscula uesper,
Qui nunc incipiens sulco nil deteris ulli?
Serò farra metens Milon durißime, nunquid BA.
Vllius absentum tangunt tua pectora curæ?
Haudquaquã: quid enim cereali operãtis in agro ML.
Vllius absentum contingant pectora curæ?
Nunquid amor uigiles adigit te ducere noctes? BA.
Nolim equidẽ, haud gustãt tutò intestina catellæ. MI.
Vndecimum nunc ipse diem miser ardeo Milon. BA.
Tu uelut è dolio quantum tibi sufficit hauris, MI.
Paruula quum uilis mihi copia desit aceti.
Scilicet idcirco sunt inculta omnia nobis, BA.
Quæ mihi pro foribus quondam cultißima stabant.
Cuius amore Venus cruciat tua corda puellæ? MI.
Pulchra meam cruciat Polybutæ filia mentem, BA.
Quæ canit egregij messoribus Hippocyonis.
Inuenit deus iniustum: nunc ergo quod olim MI.
Optabas constanter, habes, nunc garrula uates
Tecum multa nocte locusta cubabit agrestis.
Incipis insectari igitur, sed lumine Plutus BA.
Non solus caret, imprudens etiam ipse Cupido
Non uidet, & cæco sua spicula dirigit ictu:
Tu modò in iratum ne magna loquaris Amorem.

MIL. Non loquar, oppositam tantũ ne deiice messem,
A tq; aliquod charæ carmen cane dulce puellæ,
S ic leuior grauis iste labor tibi fiet opinor,
I andudum siquidem præstabas arte canendi.

BAT. Musæ Pierides tenuem cantate puellam.
N am quæ uos canitis facitis pulchra omnia diuæ:
B ombyce formosa Syram te sole perustam
C orpore prætenuem dicunt uulgariter omnes,
V ultu solus ego specioso mellicolorem:
S unt etiam uiolæ florum pars maxima nigræ,
D ecolor & rubros hyacinthos littera signat,
P ræcipuè tamen hæc in florida serta leguntur.
C apra salax uiridem cytisum, lupus ipse capellam,
I ncuruum sequitur grus errabundus aratrum,
T e sequor, in te præcipuo feror ipse furore.
O utinam mihi sint, opulentum qualia Crœsum
P ossedisse ferunt, flauentis dona metalli,
P rotinus amborum statũas ego ponere uellem
R eginæ Veneri, calamos tu, & poma teneres,
S iue rosas, uerùm ipse pedem soleatus utrunq;.
B ombyce dilecta tuæ candoribus æquant
A stragalos plantæ, strychno uox mollior omni:
Quos habeas mores nõ est mihi dicere promptum,

Quàm

Quàm iucunda canẽs latuit nos carmina Bucus, MIL.
Vt belle expreßit numeros ipſumq́; colorem.
Væ tibi quàm ſtolido nutriſti pectore barbam.
Tu nunc dicta uide Lytierſæ carmina diuo.
Et ſpicis redimita Ceres, & frugibus almum
Cincta caput, da frugifero ſeges iſta labori
Cedat, ut optatos ferat ipſo in tempore fructus.
At uos qui legitis meſſarum ſegmina frugum
Cogite diſperſos conſtrata per arua maniplos,
Ne qui prætereunt impenſam dicere poßint
Mercedem periiſſe, & inutilis eſſe laboris
Sumptam operã: cumuli Boreæ frigentis ad ortus
Aut Zephyri ſpectent fuerint qua parte reciſi,
Sic quia pingueſcunt retinentes ſemina ſpicæ.
Qui grauibus plenas ferulis quaſſatis ariſtas,
Tempora ne mediæ ſomno captate diei.
Præcipuè tunc è ſtipulis flauentia grana
Coguntur, grauidasq́; calens terit area fruges.
Incipere eſt uerò tempus meſſoribus aptum,
Quum ſua caßitæ nocturna cubilia linquunt,
Quum ſomno rurſus dulci tentantur eædem,
Deſere meſſor opus placidamq́; capeſſe quietem:
Præterea tolerare æſtum duroſq́; calores

E ſt operæprecium, quo pulchro tempore ranis
V iuitur ô pueri, nec te grauia effundentem
P ocula tunc curant, quia multa ſuperfluit illis
C opia, tunc etiam nimium curator auare
L enticulam coquere inſtructū tibi præſtat ad ignē,
N e digitos fodias cupiens ſecuiſſe cuminum.
  Iſta laborantes ceciniſſe decebat in æſtu.
A t tu peſtiferum matri narrabis amorem,
A nte reuerſuræ uigilanti tempora lucis.

ARGVM. XI. EIDYLLII.

Argumenti locum Cyclops occupat, Galateæ amore æſtuans, quem & carmine exprimit. Alloquitur autē Theocritus Niciam Mileſium, cuius poëma fertur ſcriptum à Theocrito ad Cyclopem, hoc initio.

ἦν ἄρ' ἀληθὲς τοῦτο θεόκριτε. οἱ γὰρ ἔρωτες
πολλάκι ποιητὰς ἐδίδαξαν τοὺς πρὶν ἀμούσους.

Scripſit uerò & Epigrāmation Eraſiſtrati medici Mileſij, ut ait Dionyſius Epheſius in eo, quem de medicis reliquit, commentario.

THEOCRITI CYCLOPS.
Eidyllion XI.

ARte pharetrato factum graue uulnus amori
Si medica curare uoles, ſeu puluere ſicco
N icia conſpergis, ſeu puluere collinis udo,

Haud-

Haudquaquã prodeſſe queas, niſi pharmaca, Muſæ
Quæ læſis adhibere ſolent, apponere cures.
Iucunda illa quidem mortalibus eſſe uidentur
Vulnereq́; affectis attactu lenia molli:
Qua tamen inueniant multi ratione laborant,
Et paucis ea noſſe datur: ſed enim tua Muſæ
Pectora quum foueant ſtudij cœleſtis amore,
Et Phœbi medicas tractes feliciter artes,
Haud ignota tibi Muſarum ea dona putarim.
His igitur magno Galateæ captus amore
Commodius potuit nobiſcum uiuere Cyclops,
Ille uetus Cyclops, Sicula Polyphemus in ora,
Vixdum prima genas illi quum barba notaret,
Vernarentq́; leues iuuenili in fronte capilli.
Sed nec amor leuis ille fuit, quem poma roſæ'ue
Oblectent, uiſæ'ue leuetur imagine formæ,
Intima letifico ſed pectora ſaucius ictu
Omnia poſthabuit ceu friuola: ſæpe ſine ullo
Paſcebantur oues uirides cuſtode per herbas,
Sæpe domum ſera redeuntes nocte, ſubibant
Limina caularum: miſer ille canens Galateam
Fundebat triſtes algoſo in littore queſtus.
Perdius aurore primo ſurgentis ab ortu

T abuit infixo ſub mollia pectora telo
A magna Venere, & uictor Cupidinis arcu.
S ed tamen hoc contra plus quàm letale uenenum
R eperit antidotum: Siculæ nam Doridos undam
P roſpiciens, ſcopulo ſic eſt auditus ab alto.
Formoſa ô Galatea quid auerſaris amantem?
C andida caſeolo magis, omni mollior agno,
I n molli uitulo erranti laſciuior herba,
T riſtibus omphacinæ ſuccis mihi acerbior uuæ:
N am mea quum placidæ demiſit membra quieti
H uc formoſa uenis, quum dulcis lumina ſomnus
D eſerit, haud aliter quàm quæ conſpexerit altis
A gna lupum fugiens in montibus effugis ultro.
V erùm ego te ô uirgo quo primum tempore uidi
M ontibus in noſtris dulci cum matre legentem
P urpureos flores, & odoriferos hyacinthos,
H auſtis incautum flammis in pectus, amaui,
E t tua præcedens mea per ueſtigia duxi,
E x illo nequeo requieſcere tempore, uultus
I nſpiciens formoſa tuos, ſed totus amore
T empore ab hoc pereo: nec tu miſerata dolentem
R eſpicis, aut noſtrum curas. proh Iuppiter ignem.
S ed ſcio cur fugias, cur me chariſſima ſpernas:

Denſa

Densa supercilio quia frons est plurima longo,
Idq; aurem flexu contingat utranq; superbo:
Vnus inest oculus, supraq; capacia nasus
Vasta mole iacet mea labra, atq; imminet ori.
Verùm talis ego, & forma non optimus ista,
Mille meas pasco Siculis in montibus agnas,
Dulcia quas mulgens niuei bibo pocula lactis:
Caseus haud ullo desit mihi tempore, non quum
Aut æstas uenit, autumnus'ue, aut bruma niualis,
Cuius stant calathi semper mihi pondere pressi:
Nec me carminibus quisquam præstantior uno
Cyclopum qui pascat oues hæc culmina circum:
In quibus assiduè dum te mea sola uoluptas,
Et de me tibi multa cano, te nomine uero
Malum dulce uocans, iandudum fallere noctes
Insomnes didici: sed nunc tibi nutrio ceruas
Ter tres atq; duas, fœcundas fœtibus omnes,
Quattuor ursorum catulos: quin utere mecum
Huc ad me ueniens, nihilo minus ipsa tenebis
Quàm tibi qui lustris ea sum uenatus in altis.
Interea glauci feriant sine littora fluctus:
Et potes hoc uiridi mecum requiescere in antro,
Et melius, uacuam curis, traducere noctem.

Hic lauri uirides, hic sunt graciles cyparißi,
Nigrantes umbrant hederæ, nec bacchica uitis,
Nec gelidum spirantis aquæ gratißima desunt
Flumina: de summis nemorosæ rupibus Aetnæ
Liquatæ iucunda niues mihi pocula præbent,
Pro quibus oceanũ quis amet coluisse profundũ?
Quòd si rusticitas tibi displicet hæc mea forsan
Hirsutumq́; supercilium, sunt robora nobis,
Sunt quercus, fomenta futuro protinus igni,
Qui nunc sub cinere irrequietus uiuit adusto.
Subijce me flammis, crepitantibus ure caminis
Hanc animã, hunc oculũ, quo, quũ tantum unicus
Charius esse nihil potuit mihi, fortiter istuc (extet,
Perpetiar, tantosq́; uolens tolerabo dolores.
Heu mihi quòd piscem me non genuere parentes:
Protinus expaßis tranans liquida æquora pinnis,
Ad te uirgo abeam, dulcißimaq́; oscula ferrem.
Ah saltem manibus, si nolis cætera tangi,
Impleremq́; sinum folijs, & lilia plenis
Alba darem manibus, rubroq́; in flore papauer,
Quo crepero miseri consuerunt ludere amantes.
Nec tibi fortè dari possent simul omnia: nanq;
Horũ quædam æstas, quædam fert bruma niualis.

Nunc

Nunc tamen ô uirgo liquido dare brachia ponto
Condiscam, si fortè quis huc aduenerit hospes
Qui doceat, certam t ali ratione per artem
Experiar, quæ nam uobis sit tanta uoluptas
Aequoreos habitare sinus fluctusq; profundos.
O utinam maris informes egressa lacunas
Retro obliuiscare domum Galatea reuerti,
Sicut ego hac in rupe sedens: quin pascere mecum
Ipsa uelis potius, mulgere ex ubere lactes
Fœcundo niueos, & ferre coagula plenis
In calathis grauiter redolentia: deniq; molles
Caseolos manibus componere: sola tamen me
Dura parens offendit: ut autem conqueror illi
Vulnera quæ patior, semper tacet, & nihil unquã
Dulce tibi de me loquitur: sed ut illa uicißim
Indoleat, dum me sine succo & sanguine toto
Corpore defectum uidet, hîc mendacia texens
Atq; ægrum doleo caput, & pede labor utroq;,
Hisq; ea torquetur, nanq; & male torqueor ipse.
O Cyclops Cyclops quæ te dementia cepit?
Quàm fuerat melius calathos contexere, & altos
Lanigeris ouibus in pabula sternere ramos:
Hanc mulge interea: quid enim fugientia captas

G audia? fortè aliam quæ sit formosior illa
I nuenies Galatean: amarunt me quoq; multæ,
E t mecum longa cupierunt nocte puellæ
L udere, dulce omnes, & suaui uoce canentes,
R identesq́; effusè omnes: postquam obsequor illis
N on adeò paßim contemnor, & ipse aliquis sum.
S ic bonus ille canens rexit Polyphemus amorem,
I pse suum curans meliore nomine uulnus,
Quàm si diuitias atq; aurea dona dedisset.

ARGVM. XII. EIDYLLII.

Inscribitur Eidyllion hoc Aitas, & constat Ionico dialecto. Ex poëtæ uerò persona sermo est ad amicum, unde & Aitæ titulũ præfert, quandoquidem eos etiã qui amantur nõnulli ἀΐτας uocant, uelut Thessali. Sed & Alcman poëta lyricus † puellas amabiles appellat ἀΐτας, alij uerò sodales. Quidã autẽ bonos uiros ita nuncupari affirmant, quasi μὴ ἴτας, pro eo quod est, μὴ ἰταμούς, id est, nõ improbos. * Quòd si ad eũ qui amatur referre uoles, deduci poterit ἀπὸ τοῦ εἰσαΐειν καὶ εἰσπνεῖν τὸν ἔρωτα τῷ ἀγαπῶντι, id est, ab inflando & inspirando amorem ei qui amat. Exponit autem quomodo abstinere nullo pacto amãs poßit, quin amati uestigia subinde respiciat. Optat igitur utriusq; animæ cõmissuram fieri, amorisq́; securitatem in omne æuũ perdurantẽ, ut post fatum etiam, qui

† κόρας, forsan χορδὰς legendum.

qui nos secuturi sunt posteri, tantum in utroq; consensum prædicent, ex aureo natos seculo dictitantes. Collaudat autem eos, qui ad hanc amoris uicißitudinē sese mutuò identidem accendunt: in primis uerò Megarenses extollit, ob tam eximias Diocli honores exhibitos. Quū enim is pro amico periclitante se uelut scutū obiecisset, mortiq; etiam exponere se non dubitasset, publico eum funere Megarēses dignati sunt, & ut heroa coluerunt: adcò ut ipsius nomine certamen quoq; instituerent, quo osculis inter se formosi certabant. Itaq; qui suauißimū præ alijs osculum exhibuisset, eum à iudice coronatum tradunt.

THEOCRITI AITAS.

EIDYLL. XII.

Venisti dilecte puer, iam tertia nox est,
Tertia iam reuehit croceos aurora iugales,
Quum tamen una dies cupidis afferre senectam
Poßit, & aßidui depreßis pondere uoti.
Quantum hyemi præstant genitiui gaudia ueris,
Vt grauibus mâlis superantur pruna Damasci,
Lanigero est ut ouis tenero uillosior agno,
Ter nuptæ quantum uetulæ mollißima uirgo
Præferri poterat, quantum leuis hinnulus omni
Concedit uitulo, quantum dulcißima cantu
Perpetuò cunctas uincit philomela uolucres:

Tantum inter reliquos mihi tu charissimus omnes,
Tantum tu oblectas mea pectora, scilicet ergo
Non aliter cursu te festinante petebam,
Quàm properat sudans calido sub sole uiator
E gelidam ramos fagi pandentis in umbram.
Atq; utinam spirent in utroq; Cupidinis æstus
Aequales, & mutua amor præcordia seruet
Nostra, nec ulla dies celebri nos eximat æuo:
Verùm grata memor de nobis carmina dicat
Posteritas, & sic aliquis canat: una duorum
Mens fuit, atq; duo flagrabant ignibus æquis,
Isti olim iuuenes: quorum ille, quòd esset amator
Ispnelus grauibus dici potuisset Amyclis:
Hunc, quòd amaretur, meritò dixisset Aitan
Thessalus: hi siquidem prædura Cupidinis arma
Aequali traxere iugo: nam scilicet illo
Tempore progenies hominum fuit aurea, quando
Mens fuit una eademq́;, & mutuus ardor amantũ,
Et redamabatur quisquis constanter amauit.
Hoc utinam pater ipse uelis Saturnie, uosq́;
Perpetuò iuuenes diui, semperq́; uirentes,
Vt mihi iam satis Acherusia templa tenenti
Nunciet hæc aliquis seclis post uerba ducentis:

Nunc

Nunc tuus ille amor, & formosi nomen Aitæ
Cuncta per ora uirûm uolitant, & fabula paßim,
Præcipuè iuuenum uerbis celebrantur amantum.
Ista sed ut feret ipsorum diuina uoluntas
Curabunt superi, cœlestia regna tenentes.
Verùm ego te laudãs formose haud mentiar unquã,
Nec tenui grauis innascetur pustula nari.
Nam si fortè aliqua me parte momorderis, ipsum
Ne poßit nocuisse statim facis: adficis autem
Lætitia duplici mea pectora, teq́; relinquens
Mensuram cumulis semper fero pluribus auctam.
Nisæi Megaræ ciues qui uincitis omnes
Arte peragrandi grauibus uada cœrula remis,
Vestra boni seruent felicia mœnia diui,
Qui tam Cecropium celebratis honore Dioclem,
Illum quem iuuenum tenuerunt semper amores,
Præcipuo, quàm non aliquem qui uestra subißet
Tecta peregrinus, sub cuius busta sepulchri
Vere nouo semper pueri florentibus annis
Conueniunt, certantq́; per oscula mutua palmam
Accipere, ut quicunq; labris ad labra coactis
Basia molliculo suauißima fixerit ori,
Ad matrem redeat meritis grauis ille coronis.

O fortunatum qui mollibus ista puellis
O scula distribuit: multùm nanq; ille precatur
F ormosum Ganymedea, ut ora simillima Lydo
A ccipiat lapidi, quo uerum scilicet aurum
A rgenti artifices possunt discernere prauo.

ARGVM. EIDYL. XIII.

Præsens Eidyllion Hylas inscribitur. Rursum uerò cum Nicia confabulatur, quemadmodum & in Cyclope. Exponit autem, quæ de Hyla & Hercule fabulis tradita sunt: Hylæ quidem à Nymphis raptū, & Herculis eum sedulò quærentis errorem, ac super amisso cruciatū. Sciendum uerò Hylam Theodamantis Drytomi filium fuisse, cuius amore flagrauit Hercules. Institutum eum alij quidem aiunt à Rhadamantho, alij uerò à pastoribus Amphitryonis & Thestiadæ. Verùm de Cupidine, qua stirpe genitus sit, plerique dubitant. Nam Hesiodus, Chaus & terræ filium esse affirmat. Simonides autē, Martis & Veneris. Acusilaus, Noctis & Aetheris. Alcæus, Eridos & Zephyri. Sapphὼ, Veneris & Cœli. Alij uerò aliorum.

THEOCRITI HYLAS.

Eidyllion XIII.

NOn solis peperit nobis, ut opinor, amorem
Nicia amariferum, quisquis fuit ille deorum
Qui peperit, neq; nos primi sumus ordine ab omni,
P ulchra quibus pulchra esse etiã uideantur, & ipsi
M ortales quum simus humum cras fortè obituri,
V erùm etiam hunc sensit præduro pectora fultus
R obore Thebano satus Amphitryone, ferocem
Qui prius obtinuit dextra uictrice leonem,
F ormosum iam uictus Hylam quum uictor amaret,
C ui niueos flauenti humeros contexit amictu
C andida cæsaries, quem quòd charissimus esset
O mnibus haud aliter quàm si pater esset, abundè
A rtibus instruxit, docuit simul omnia, per quæ
pse olim meritis factus celeberrimus esset.
N unquam solus erat, non illum Phœbus ad axem
I gniferum mediæ permensus tempora lucis,
N on roseis aurora iugalibus alta reuisens
T empla Iouis, potuit solum uidisse: nec illo
T empore solus erat, quo pulli nocte propinqua
R espiciunt dulcis consueta cubilia somni,
A trabe fumosa matrem quatientibus alis.

S icut non aliquis puer illo firmior esset,
A ut animo melior, sed ad optima semper anhelans
I pse uir ad ueras uirtutum euaderet arces.
Sed postquam auricomum uellus petiturus Iason
Aesonides parat insuetis uada cœrula remis
C urrere, delecti cunctis ex urbibus omnes
C onuenere simul, quorum fuit usus: in illis
V enit & exantlator iniquorum ille laborum,
F ilius Alcmenæ Mideatidos heroines,
D iuitis ingrediens Iaolei mœnia Pelei,
C umq; ipso formosus Hylas aduenit, & Argo
R obustam conscendit: ut autem cœrula nabat
P er freta, Cyaneas nihil ad Symplegadas usquam
I mpacta est, sed perrupit, Phasimq; tenebat
M ore aquilæ p magna uagi spacia æquoris: ex hoc
T empore constiterunt Symplegades æquore fixæ,
E t iam Pleiadum stellis orientibus, & iam
E xtremæ pauere nouos quum scilicet agnos
C onuerso iam uere, memor tunc tempus in altum
D iuinus flos heroum deducere nauim
C onscēdere cauam, primū hoc iter æquoris, Argo
P er tres inde dies uela impellentibus austris
H ellespontiaci uenerunt littoris oram,

Inq; sinu

I nq; ſinu portum tenuere propontidos altæ,
Qua ſulcos duxere boues & aratra Cianum.
Hic uerò digreßi in littora proxima læti,
Veſpertina breui ſtruxere ſedilia cœnæ,
Cũ paribus paria in numerum: pars plurima ſtratis
Decubuere toris in humo: nam plurima circùm
Planicies lætos extendit gramine campos:
Butomon hinc acidam reſecant, altamq; cyperum.
Inde abijt formoſus Hylas, tum forte parandam
In cœnam laturus aquas, ut ferret & ipſi
Alcidæ magno, atq; intrepido Telamoni,
Qui menſam ſocij conuiuabantur ad unam
Semper: at hic urnam manibus geſtabat ahenam
Flauus Hylas, propere conſpecto fonte ſub antro
Obſcuro nigroq; loco, quem plurima iuxta
Ficubus umbrabant folia enaſcentia denſis,
Cœruleumq; chelidonium uiridansq; adianthum,
Et ſerpens agreſtis, & utilis herba ſelini.
At Nymphæ media quæſiti fontis in unda
Saltantes duxere choros, Nymphæ irrequietæ,
Agricolisq; graues diuæ, ſemperq; moleſtæ,
Eunice Malisq;, & ueris amica Nychia.
Iam puer admorat potandis hauſtibus urnam

T angere festinans, Nymphæ quũ protinus omnes
I nijciunt manibusq́; manus & fortiter hærent.
N anq; amor eripuit mentem simul omnibus idem
A rgiuo in puero: nigram miser ille sub undam
N on aliter cecidit, quàm stellæ flamma rubentis
I n mare tota cadit, quum nautis arma parari
I mperat, & uentum dicit quis adesse secundum.
A t Nymphæ in genibus lacrymantẽ multa tenẽtes
S olabantur Hylam blandis, sua gaudia, uerbis.
A puero amisso turbatus pectore toto
A mphitryoniades, inflexos corripit arcus
E t clauam, quam dextra manus gestare solebat,
Quæsitumq́; abiens magna ter uoce uocauit,
Quantum plena potest de gutture ducta profundo
V ox fecisse sonum, tanta ter uoce petitum
I nclamauit Hylam: nigrante ter ille sub unda
A udijt, & tenuis uox uenit ad Herculis aures,
E x unda quæ proxima erat: procul ille uocanti
E sse uidebatur, quum non procul esset: ut autem
C ruda leo comedens si quando in montibus altis
C eruinum audiuit pullum malè uociferantem,
P roripuit sese è latebris, prædamq́; paratam
E xpetit: haud aliter qua densis semita spinis

Nulla

Nulla fuit, quærens puerum per iniqua locorum
Lustra ferebatur: miseros ô semper amantes,
Quanta est emensus magno spacia ille labore
Montibus & syluis errans: & Iasona totum
Posthabuit, magnæ & sublimia carbasa nauis.
Vela quidem iuuenes media sub nocte ligabant,
Herculis aduentum longa in statione manentes.
Ille pedes quacunq; uiæ præfracta ferebat
Semita pergebat, multo furiosus amore:
Hepar enim morsu deus intus edebat acuto.
Sic formosus Hylas pars additus est quota diuis.
Alcidæ proceres conuicia multa ferebant
Desertori operum cœptorum: nanq; moratus
Esse ferebatur præstantem pluribus Argo
Remigijs: pedes ille autem peruenit ad ipsam
Colchida, & auriferi desertam Phasidos oram.

ARG. EIDYLLII XIIII.

Argumentum habet Eidyllion hoc, amatoriæ con ditionis, communisq; Cyniscæ amoris. Hæc enim Aeschini uxor, Lyco cuidam magis adhærebat, neglecto interea marito. Iure igitur introducitur hic, amico id Thyonicho cuidam, forte per id tempus ad se ueniēti, conquerens. Res autem in Sicilia acta.

Cyniscæ, uel Thyonichus.
Eidyllion XIIII.
Aeschinus & Thyonichus.

AES. CHare uir, & multũ dilecte Thyoniche salue.
TH. Tantundẽ totidẽq; tibi precor Aeschina uer-
AES. Cur tã serus ades? quæ te nã causa morata est? (bis.
TH. Forsan serus eram, sed quæ te cura fatigat?
AES. Non agitur cursu sors nostra Thyoniche recto.
TH. Ergo tuum macies tenuauit pallida corpus,
Atq; hæc barba graui mento tibi multa pependit,
Neglectáq; breues sordent in fronte capilli.
Talis erat qui nuper in hæc loca Pythagoræus
Venerat informis, pallens, pede nudus utroq;,
Palladijs natum quem fama ferebat Athenis.
Nempe uidebatur quòd & hic macilentus amaret,
Sed tostum & pingui panem de farre coactum.
AES. Tu siquidem ludis, cura non anxius ulla,
Me uerò excruciat formosa Cynisca: sed antè
Quàm sensisse queã furor opprimet æger amantẽ,
Certè inter medium dicas non esse capillum.
TH. Talis es ipse quidem semper, nunc mente quietus,
Nunc uehemens, qui cuncta tuis succedere rebus

Opportuna cupis: ſed enim noua diſſere quæ ſint.

Ipſe ego & Argiuusq; & Theſſalus Hippodia- AES.

Apis, & æratis Cleonicus fortis in armis, (ctes,

Nanq; ſubintrarunt mecum mea tecta, bibentes

Forte ſedebamus, geminos ego protinus illis

Mactabam pullos, lactentemq; ubere porcum:

Quin & odoriferum perculſo uaſe releui

Byblinon annorum iam quattuor, & tamen ipſum

Tanquam germen adhuc & torcularia ſpirans:

Sumebantur item crudi bona prandia bulbi,

Et cochleæ molles: prorſus fuit illa ſuauis

Sympoſij facies: quo procedente placebat

Fundere ſæpe merum cuius uoluiſſet amicæ

Nomine quiſq; ſuæ, ſimul ædere cuius honori

Nominis affundi uinum ſibi uellet: amantum

Ergo bibebamus noſtros per nomina amores,

Vt prius inter nos conuenerat: illa tamen me

Quamuis præſentem ſimul & facere iſta uideret,

Quum nihil omnino cupido loqueretur amanti,

Quos animos, quem tunc ſenſum mihi rere fuiſſe?

Dixerat hic aliquis, media inter pocula ludens

Non loqueris, uidiſſe lupum puto: protinus illi

His tibi quàm ſapiens uerbis, ait, eſſe uideris:

E t simul immodica feruens incanduit ira,
V t facilè extinctæ stuppam accendisse lucernæ
I llius à uultu potuisses. sed lupus ille est,
I lle Labi lupus est uicini filius, æuo
F lorenti tener, & procero corpore firmus,
I dem qui uulgò forma bonus esse uidetur,
I psius hæc siquidem manifesto tabuit igne.
Quæ licet ipsa meas olim fama attigit aures,
N on tamen ulterius fuit hanc exquirere curæ:
E t frustra uir eram, frustra barbatus habebar.
I amq; graues nimio, & repleti pectora uino,
Quattuor ut fuimus, quum Thessalus Hippodioctes
I pse Lyci primus tenerum cantabat amorem
C armine Thessalico, quo, mēs mala, mota Cynisca
F leuit, & humentes demisit lumine guttas,
N on aliter quàm nata duos & quattuor annos
I n gremio cupiens matris latuisse puella.
H ic ego, quem dudum tu me ipse Thyoniche nosti,
I psius adducto candentia colla cecîdi
I ngeminans pugno: tum uestes illa recinctas
C olligit, atq; foras se proripit ocyor Euro.
H eu amor infelix semper mihi, non ego certè,
C ertè ego non placeo, sed enim tibi gratior alter

Accubat,

A ccubat, inq́; ſinu placido laſciuit amator.
I llum tu hinc digreſſa foue, quas fuderis illi
P oma fluant lacrymæ: tum uerò qualis hirundo
G arrula ſæpe cibum pullis ſub tecta reponens
E xilit hinc, alium celeri latura uolatu:
T alis & illa fuit plumoſa ſedilia linquens
P er biſores elapſa domos ualuasq́; patentes.
F ertur & hoc olim, in ſyluam quoq; taurus abiuit.
V iginti fluxere dies octoq́; nouemq́;,
A tq; aliæ bis quinq;, hodie & lux altera certè eſt
A decima, menſesq́; duos his adde duosq́;,
T empore tam longo nunquam cõuenimus, ex quo
T bracũ more comæ ſqualent impexaq́; barba eſt.
I nterea illa Lyco fruitur noctesq́; diesq́;,
I lla Lyco patet: at neq; nos ratione uidemur,
N ec numero digni, uelut infauſti Megarenſes
S ortis in extrema miſerandæ parte locati.
Quòd ſi obliuiſci longi poßimus amoris,
N oſtra hæc nunc melior ſors atq; decentior eſſet:
N unc guſtaſſe picem ceu muri damna, quod aiunt,
A ttulit iſta mihi: quod enim medeatur amori
P harmacon inuenio nullũ, niſi quòd modo pulchrã
A equalis meus ille Epichalco Simus amauit

N atam, ubi ueliferum transmisit nauibus æquor
I n patriam rediјt depulso sanus amore:
I pse quoq; infidi uerrens uada cœrula ponti
T ransiliam remis: neq; peßimus, & neq; primus
Qui mare transierint, tamẽ haud sine nomine miles.
TH. O utinam ex animo cedant tibi cuncta uolenti
A eschina: quòd si fortè placet peregrina uidere
R egnáq; militiamq́; sequi, belloq́; merere,
M artia magnanimi Ptolemæi castra sequaris:
F ortibus hic poterit soluisse stipendia factis.
AE. Sed qualis uir is est? TH. Qualẽ liberrima poßit
V ita optare hominis: multa est uirtute benignus:
M unificus, Musas colit, haud ignarus amorum,
P ræcipuè ornatus comi dulcedine morum,
I nter amicitias discernere doctus, & inter
F ucatam ueramq́; fidem: tum plurima multis
D istribuens, facilisq; petentibus æqua piumq́;
V t regem decuit: nec enim petere omnia oportet
A eschina: quòd si circa humerũ tibi fibula dextrũ
S ummam connectat uestem, & pede nixus utroq;
F ortiter insistens audebis ferre proterui
M ilitis insultus, & agentis uerbera scuti,
I celer Aegyptum pete: nam per tempora nobis
Paulatim

Paulatim ueniens obrepit cana senectus,
Inuasura breui niueo candore genarum.
Ergo aliquid faciendum operis dum sustinet ætas,
Dumq; uirente genu poßis satis esse labori.

ARGVM. XV. EIDYLLII.

Inscribitur Eidyllion hoc Syracusiæ, uel Adoniazusæ. Continet autem Syracusanas quasdam genere, Alexandriā recens profectas, & uelut ex cōposito exeuntes ad spectaculum pompæ, qua Adonis ab Arsinoë regina Philadelphi uxore gestabatur. Venit autē Gorgo ad Praxinoam, qua secū assumpta egreditur ad spectaculū. Porrò morē habebāt Alexandrini in Adonijs festis, eos qui simulacra eius gestabant, unà cū solennibus, siue existimatione pollētibus, ad mare ferre: Syracusanæ uerò mulieres domos egressæ mirātur turbā, & quæcūq; accidere in id genus populi cōuentu solent. Describit ergo poëta peregrinātes eas Alexandriæ, ut reginæ gratificetur, unde & uexationē cōmemorat ac impetū uirorū, & cantricē quandā introducit, sumptuosum reginæ Arsinoës apparatū carmine exprimētē.

THEOCRITI SYRACVSIAE,
uel Adoniazusæ. Eidyllion XV.
Gorgo. Praxinoë. Eunoa. Anus. Hospes.

NVnqd Praxinoë manet intus in ædibus istis? GO.
Intus iandudum est, sed quàm tu lenta fuisti? EV.
Quāuis sera uenis Gorgo, tamen hoc quoq; miror PR.
Quòd tandem uenias: sed tu nunc protinus isti

E unoa porrecto ceruical pone sedili.

EV. Rectè hoc cōpositum est. PR. hîc Gorgo chara (sedeto.

GO. Heu furor, ô fatui quãta est insania uulgi,

V ix uobis seruata, incommoda multa uiarum

E uasi, quæ latiuagæ uis plurima turbæ,

M ulta quadrigarum faciunt crepidæq; molestæ,

E t paßim chlamydata cohors effusa uirorum,

P ræterquã quòd iniqua uia est, & longior æquo,

T u quoq; quàm uellem nunc longius ipsa moraris.

PR. Has meus extremas est ille profectus ad oras

T errarum, & nido insidet huic, non incolit ædes,

S cilicet ut ne nos uicinia commoda iungat.

I lle, malum, me discrucians, & semper iniquis

L itibus exercens, meritum quem taliter odi.

GO. Per Venerem ne tanta tui malefacta mariti

D ixeris, aut isto culparis nomine coram

H oc puero: uiden' aspiciat te ut paruulus ipse?

PR. Zopyrion confide animo dulcißime fili,

N on ut rere tuum signant mea uerba parentem.

GO. Percipit ipse infans, bonus est pater ille profectò,

V t me magna iuuet coniunx Plutonis auari.

PR. Ille quidem pater ille forum quum nuper adisset

E mpturus nitrumq; recens, fucumq; marinum,

Rettulit

Rettulit insipidi demortua grana salilli.
Hic uir inutilis ulnarum bis quinq; triumq;.
Et talis meus est, argentum perdere natus, GO.
Arte Dioclides simili: nam uellera quinq;
Emit heri penso drachmarum munere septem,
Vellera quæ dixisse canum, frugisq; uetustæ
Frustra queas, sordesq; meras, opus ex opere ipso.
I nunc sume tuos quos fibula nectit amictus,
Plurima regalem Ptolemæi diuitis aulam
Ibimus, ut pulchro quæ pulchra parauit Adonidi
Adsimus pompæ, quam nunc formosa paratu
Magnifico regina, ut fama fertur, adornat.
Sponte beata sua succedunt cuncta beatis, PR.
Quæ tu uidisti, quia, qualia sint ea, nosti,
Dixeris his etiam qui non uidere. GO. Sed instat
Tempus, & ire monet: sunt ocia semper inerti.
Huc age profer aquam grauibus contrita flagellis PR.
Eunoa, pone iterum, quam quærunt mollia feles
Ocia: tolle moras, fer aquam citò: nanq; lauandũ est
Ante uiæ quàm ineamus opus durumq; laborem.
Aspice quàm tulit officiosa: sed heus age semper
Esuriens, & multa uorans, ne infuderis undæ
Plus nimio: infelix cur uestem aspergine fœdas

Hanc mihi? iam laui, si dijs placet: attamen arcæ
Clauis ubi est magnæ? defer mihi protinus ipsum.
GO. Praxinoë, quàm multiplici ratione plicatum
Emperonama tibi est, quàm te decet illud habentē:
Dic quanti à textore ad te peruenerit ipso.
PR. Ne quæras, pondo uno emptū est, aut fortè duo-
Simplicis argenti, quo nec sit purius ullum: (bus.
Præterea est tanto uita hæc appensa labori.
GO. Sed tamen ex animo res hæc cessisse uidetur.
PR. Hoc equidem pulchrè, atq; ut res habet ipsa lo-
Affer palliolū, uelumq; decenter adapta. (quuta es.
Sed neq; te ducam fili, plena omnia laruis,
Et Mormò, mordent & equi, lacrymare licebit
Quantumcunq; uoles: fieri te deniq; claudum
Non uolo. sed quoniam tempus nos urget eamus.
Tu uerò hunc Phrygia accipiens collude puello,
Atq; intrò catulum reuoca, dudumq; patentes
Claude fores: dij quantū hominum, q̃ plurima turba
Qua ratione malum superabimus illud eundo? (est.
Agmen enim formicarum est sine lege modóq;,
Immensum numeróq; carens, non turba uirorum.
Multa tibi & præclara opera et benefacta deorū
Venerunt Ptolemæe secundo numine, postquām

Diuorum numerum genitor tuus auxit, habetq́;
Cœlum cum ſuperis, nemo malefactor euntem
Lædit ab Aegypto ueniens, ut nuper iniqua
Fraude latrocinia urgentes, impune ferebant
Multa uiri ſimiles inter ſe luſibus iſtis.
Quid nunc de nobis fiet dulcißima Gorgo?
En celerum turmas Ptolemæi regis equorum.
Heus bone uir, ne conculces me, rectus in ambos
Se quatit ille pedes inſurgens corpore rufus:
Aſpice quàm ferus eſt, audacia nempe canina eſt:
Eunoa an expectas? nec adhuc fugis? opprimet ipſũ
Seſſorem: bene habet, q̃ adhuc mihi paruulus intus
Ipſe manet, bona cauſa meæ fuit illa ſalutis.
Praxinoë confide animo, iam uenimus extra GO.
Hos equites, ſeſe tuta in ſtatione tenentes.
Iam mihi reddor & ipſa, animiq́; recolligo uires, PR.
Semper equum timui, & frigentem pellibus anguẽ
A puero: ne cunctemur, properare neceſſe eſt:
Turba quidem nobis non cõtemnenda propinquat.
Vnde ades ô mater, regali nunquid ab aula? GO.
Regali uenio charißima filia ab aula. AN.
Num facilis datur acceſſus ſubeuntibus ædes? GO.
Venere ad Troiam penetrantes omnia Achiui. AN.

Crede puellarum pulcherrima, quicquid agendū est
Perficit, & certum dabit experientia finem.
GO. Hæc anus oraclum diuino ex ore loquuta est,
Atq; abit ipsa: sciunt mulieres cuncta profectò:
Duxerit utq́; ipsam Iunonem Iuppiter olim.
Aspice Praxinoë foribus quæ turba propinquat.
PR. Immensa est hæc turba, manū charißima Gorgo
Da mihi succedens: sed & Eunoa te præeuntis
Eutychidos comprende manum, ne forsan oberres,
Tam strictè simul urgentes intrabimus omnes,
Nos curæ constanter habe, nos Eunoa specta.
Heu miseram semel atq; iterum, mihi palla tumultu
Scinditur ô Gorgo: sic te ô homo q́squis es, ipsum
Iuppiter auctet ope aßidua, serua hanc mihi uestē.
HO. Ad me res equidem nil attinet ista, sed ipsam
Curabo tamen. PR. Immodica hæc & plurima turba est,
Ceu fodiēte sues turbātes omnia rostro.
HO. Esto animo forti mulier, iam tuta tenemus.
PR. Tuta precor teneas & in hac, & in omnibus horis,
Chare uir, officio qui nos coniungis amico,
Vtiliterq́; iuuas, & opis miseraris egentes.
Sed malè comprimitur subeuntibus Eunoa turbis:
Infelix quàm te uidentis uiribus urgent.

Sed

S ed bene ſucceßit, ſunt omnes intus, ut olim
D ixit amans, capta claudens ſua limina ſponſa.
Huc age Praxinoë, uaria hæc circumſpice, pri- GO.
Q uàm parua, artifici quàm ſunt exacta labore: (mũ
N on opera hæc hominum, ſed dixeris eſſe deorum.
O ueneranda Minerua, manus q̃ docta labores PR.
H os dedit: ô quales, quæ talis uellera lanæ
T ractarunt, qualesq́; fuiſſe putabimus ipſos,
T alia qui pinxere nouis animalia formis:
Q uàm ſtãt uera locis, quàm penè & uera mouẽtur,
Q uàm poſſunt animata, & non intexta uideri.
R es quædam ſapiẽs certè eſt homo: nũc tamen ipſe
Q uàm uenerandus in argento iacet ubere lecti
F loreſcens prima lanugine pulcher Adonis,
Q ui ter amatus, adhuc & in ipſo Acheronte adama
Deſinite ô miſeræ, garritibus omnia uanis (tur. HO.
T urturibus mos eſt implere loquacibus olim.
Vnde homo? qđ ue tibi ſi nos iuuat eſſe loquaces? GO.
S i potes imperio nos obrue, nempe iubebis
I ſta Syracuſijs: ſed noueris hoc quoq; ciues,
N os ſumus è clara pars non ſpernanda Corintho,
S icut & ipſe fuit uolucer pede Bellerophontes,
E Peloponneſo ſermo nos eſſe fatetur

D orica uerba loqui, quum simus Dores, opinor
P ossumus, & nobis, nisi fallunt omnia, fas est.
PR. Ne sine cœlifuga umbrarum regina silentum,
V t quisquam imperitet nobis, nisi fortior unus.
N on metuo ne mensura tibi ludar inani.
GO. Iam taceas rogo Praxinoë, cantabit Adonim
P lurima cognoscens Argiuæ hæc filia cantrix.
V icit & hæc iam Sperchin Ialemon antè canendo,
N unc quoq; qcquid erit pulchrũ, mihi crede, loque-
E t nunc gestit ut incipiat præludia captans. (tur:
Quæ Golgon Cytherea colis Venus, Idaliumq;
E xcelsamq; Erycen, Venus auro candida gaudens,
Q ualem latiflui de sede Acherontis Adonim
M ense duodecimo tibi deduxere reuersum
M ollipedes ac tardigradæ plus omnibus Horæ
C œlicolis, sed gratæ etiam mortalibus Horæ:
S emper enim referunt uenientes plurima secum.
O Cytherea Venus tu reginam Beronicen
E x mortalibus, ut dicunt, iam morte carentum
I unxisti numero diuûm, formosa puellæ
P ectora rore fouens, & succo nobilis herbæ,
C uius membra deûm sunt immortalia pastu.
N unc tibi quæ tot habes cognomina, cuius honori

Templa

T emplatot exurgunt, nata auricomæ Beronices
A rsinoë, quæ forma Helenen æquauerit ipsam
G ratificans tibi dilectum iam rebus Adonim,
O mnibus eximijs colit inuitatq; colentes,
Q uem iuxta arboribus quæ munera cunq; beatis
N ascuntur cumulata iacent, & germine florum
V ernantes horti tenero, candentibus ære
A rgenti calathis, seruati molliter adsunt:
A urea præterea satiata alabastra liquore
V nguinis Aßyrij: sunt & preciosa ciborum,
Q ualia sæpe bonæ coxerunt fercula matres,
Q uum posita flores alba sartagine farri
M iscuerunt uarios, quos in dulcißima mellis
M unera conijciunt olei liquamina mollis.
A dsunt præterea uolucrum sublime uolantum
R eptantumq; solo tot millia: sunt uiridantes
E t folijs depressæ umbræ florentis anethi,
Q uem superinuolitant teneri petulanter amores:
Q uales lusciniæ sub frondibus arboris altæ
C onsidunt strepitantq; alis, ramosq; uolantes
N unc hos, nunc alios penetrant: suauißima fragrās
O hebene, ô radijs fulgens flauentibus aurum,
O Aquilæ puerum miscentem pocula eburnæ

P ortantes superûm regi, supráq; tapetes
P urpurei, molli plus mollia stragula somno,
D ixerit aut Samius, Mileti aut ciuis aquosi,
S tratus adest, aut formoso lectus Adonidi:
A tq; hac parte iacet Venus, hac rubicũdus Adonis,
A nnorum sponsus ter sex, aut grandior uno,
N ecdum etiam pungunt rubicundis oscula labris.
N unc amplexa tuum salue Venus alma maritum,
N os ipsum primo simul omnes rore feremus
L ittoris æquoreas extra spumantis ad undas,
S oluentesq́; comam, sinibusq́; ad pulchra ligatis
P ectora, dulcisona sic illi uoce canemus:
D ulcis Adoni uenis nos ex Acheronte reuisens,
A tq; illò remeas heroum solus, ut aiunt.
N anq; nec hoc potuit, cunctis Agamemno Pelasgis
P rælatus grauitate, nec insuperabilis Aiax,
N on uiginti Hecubes natorum maximus Hector,
N on etiam magno Patroclus charus Achilli,
N on capta referens Pyrrhus patria agmina Troia:
S ed neq; qui Pyrrho Lapythæ uixere priores,
N ec gens diluuij superatrix Deucaliones,
N on Pelopis genus, aut Argiuûm fama Pelasgi.
S is felix nunc dulcis Adoni, & ad hæc tua lætus

Templa

T empla ueni, & dexter quũ ueneris esse memẽto.
Praxinoë quãta hæc sapiẽtia? certè ea magna est, GO.
P lusquam felicem quæ tam bona carmina cantat.
S ed nos hora domum reuocat: sed enim Dioclides
O ptimus haudquaquã meus est uir acutus et atrox,
Qui simul esuriat non tutò occurreris illi.
S alue dulcis Adoni, & nobis dexter adesto,
Quæ tua lætifico celebrauimus orgia cantu.

ARGVM. XVI. EIDYLLII.

Scriptum est Eidyllion hoc ad Hieronem Hieroclis filium, extremum Siciliæ tyrannum, qui regnum quidem obtinuit dux iam antea declaratus à ciuibus, atq; ita inferiores se potestates perdidit, ut tyranni nomen non immeritò sortitus sit. Post hunc autem alius Hieron imperauit, Gelonis filius, aut secundum alios frater. Theocritus ergo quum nihil donorum ab Hierone acciperet, Eidyllion hoc fecit, Charitesq; inscripsit, in quo ad Simonidis etiã poëtæ scrinia allusit. Ferunt enim duas hunc arculas habuisse domi: alteram quidem gratiarum, alteram uerò dantium. Itaque quum ei accessisset quidam munus petens, illas sibi adferri iussit: & eam quæ gratiarum erat uacuam reperit, alteram autem dantium, offendit plenam: quo facto scitè à se importunum illum beneficij petitorẽ propulsauit. Alij aliter.

THEOCRITI CHARITES, *siue Hieron.*

EIDYLLION XVI.

Semper habet Musas ea cura, ea cura poëtas:
Illas facta deûm canere, hos benefacta uirorũ.
Nam quum sint diuæ cœlestia numina Musæ,
Diuinas possunt diuorum dicere laudes:
Nos homines quid ni mortalia facta canamus,
Et laudes hominum, et meritum uirtutis honorem?
Sed quis in hoc adeò mortalis munere uitæ,
Quis nunc tam bonus est sub aperti lumine solis,
Qui nostras aliquo Charitas dignetur honore,
Excipiat'ue domo gratas, & munere donet,
Quamlibet exiguo, nec fortè remittat inanes?
Illæ autem iratis plangentes pectora palmis,
Et pedibus redeant nudis, & acerba dolentes.
Sæpe mihi, quòd frustra ierint, conuicia dicant,
Sæpe reuertantur nudæ inuestesq; puellæ,
Et miseræ uacuas iterum referantur ad arcas,
Et genibus sedeant gelidis capita ægra tenentes.
Hanc etenim sedem, quoties spe lusit inani
Euentus, repetunt, atq; hæc sua limina seruant.

Nulla

Nulla quidem Musis nunc est reuerentia, linguæ
Nullus honor, docta quantumuis uoce disertæ:
Nec quisquam est hodie, qui per benefacta mereri
Vt quondam studeat præclaræ nomina famæ.
Quin potius lucro insistunt, & rebus inhærent
Augendis quocunq; modo, quascunq; per artes
Nunc homines, et ut est mos temporis huius, auaras
Semper habent sub ueste manus, dũ crescat et arcæ
Clausuras grauidæ congesta pecunia rumpat:
Vnde nec impendens tantum quis donet amico,
Quantum decedat derterso eruginis æri.
Quòd si fortè aliquis quicquam petat, ocyus inquit:
Sura genu propior mihi ut est, ita semper habenda
Sed nihil ipse moror uersus & carmina uatũ, (est.
Et potius diuina requirunt numina uates.
Quis uerò attentas alijs accommodet aures,
Quum sit & efficiat satis omnibus unus Homerus?
Ille poëtarum mihi maximus esse uidetur,
Qui nihil accipiens, nihil hinc auferre laboret.
O miseri, quò tanta lucri sitis ista? quid auri
Congeries miseram tanta strue degrauat arcam?
Non sic diuitijs uti decet: utitur autem
His bene, qui neq; se fraudans indulgeat ipsi

Quod satis est genio, uitæq́; accommoda seruet,
Quædam distribuat, quos approbet ipse, poëtis:
M ulta quoq; agnatis, & multa benignus amicis
E xhibeat reliquis: aras & sacra deorum
M uneribus colat, hospitibus sit largus habendis,
A ccipiatq́; lubens alienæ sortis egentem,
E t mensæ socium sumat sibi, deinde uolentem
I re sinat placidis demulsum pectora uerbis:
I psos præcipuè Musarum sacra ferentes
P ræcipuo uates colat & ueneretur honore,
V t secum stygias laudem ferat ipse sub umbras,
N ec tristes peragat luctus Acheronte sub imo,
S icut inops patrio duram qui plorat in agro
P auperiem, rigidis uersato robore callum
I nducens manibus, defessáq; brachia iactans.
M aximus Antiochus regum, prædiues Aleuas
I mperio fuit: his seruorum multa tyrannis
M illia parebant, quorum ditissima luxu
A tria magnifico plures pauere ministros,
Quàm numerare queas: Scopadũ quoq; thessala Pe(nei
P ascua lauriferi lætas armenta per herbas
S eruabant, immensa illis ad nota redibant
L imina caularum uitulorum millia multa,

Mille

Mille greges ouium, mugitibus omnia uaccæ
Cornutæ stabula implebant, & florida tempe
Errabat dumeta olim Cranonia circum,
Hospitioq; bonis per pinguia culta Creondis
Delectos pauere greges ouiumq; boumq;,
Non tamen hæc illis tantarum copia rerum
Profuit, aut ueræ laudis decora ulla tulisset,
Postquam per stygiam semel enauere paludem,
Et dulces superi liquerunt luminis auras,
Desertis quin his opibus sub nocte iacerent:
Perpetua tristes inter sine laudibus umbras,
Carmine uenturis nisi Cëius omnia uates
Prodisset populis, illorum plurima plectro
Aeolico benefacta sonans. per carmina uatum
Victores celebrantur equi, quibus inclyta parta est
Palma per Elæos sacro certamine campos.
Quis Lycios heroas adhuc, quis nosse comatos
Priamidas queat, & muliebria tempora Cygnum
Canentem, ueterum nisi fortia facta uirorum
Bellaq; diuini cecinissent carmine uates?
Inclyta multiuagi nec fama maneret Vlyssis,
Errantis duo lustra uiri maria omnia circum,
Circum omnes populos, tandem & subeuntis auari

L imina Plutonis, quod uiuo contigit illi,
N ec notum populis ulla ratione fuisset,
S peluncam fugisse feri Cyclopis eundem.
I pse quoq; Eumæus tacito latuisset in agro
I nter aras interq; sues: te nemo Philœti
P inguibus audisset seruantem pascua bobus.
R etro lapsa pij Laërtis fama perisset,
S i non iuuissent diuini carmina uatis.
N omina uiuentes mortalibus optima Musæ
A tq; æterna ferunt, & nulli obnoxia fato.
V erùm res pereunt, & qualescunq; reliquit,
Quantascunq; etiam diues post fata reliquit
D iuitias, hæres rapit & consumit auarus.
S ed labor est idem numero comprendere uelle
Quot uento rapidi ueniant ad littora fluctus,
A ut laterem liquido lutulentum fonte lauare,
E t uicisse uirum lucri dulcedine captum.
S ed ualeant quos talis amor sine fine fatigat,
E t nullum miseri inueniant finem'ue modum'ue
T ristis auariciæ, quin semper plura repertis
A ccumulent, & sollicito crucientur amore
A rgenti atq; auri, cæcaq; cupidine tristes
I ntereant: me famam hominum populiq; fauorem
Emeruisse

E meruisse iuuat plus quàm si dentur equorum
Millia multa mihi, & mulorum quicquid ubiq; est.
Quis tamen exhibeat, quem quæro, cui mea possint
Scripta placere uiro? nostræ cui carmina Musæ
Sint cordi, atq; animum moueant uirtutis amantē?
Difficiles sunt nanq; uiæ duriq́; labores
Musarum, placido nisi Iuppiter ipse Camœnis
Aspiret uultu: sed nec dum desinit annos
Et celeres menses fessum producere cœlum,
Quin & adhuc multi currusq́; rotasq́; mouebunt
Aeripides, erit ille meo qui carmine dici
Se uolet, & magnum factis imitetur Achillem,
Et meritis illi cedat Telamonius Aiax,
Qualibus hos circū Phrygium Simoënta potentes
Dardanij uidere uiri, quo littore quondam
Excelsum ueteris monumentum constitit Ili.
Iam Phœnissa tremit Carthago Libyssidos oræ
Vltima, conatu metuenda parantibus omni
Bella Syracusijs, medias subeuntibus hastas,
Et clypeis passim quatientibus arma salignis.
Quos inter ueteres Hieron heroas, & ipsos
Semideos uultu referens animoq; decenter
Cingitur, & cristis galeam quatit acer equinis.

I uppiter illustris regnator maxime olympi,
T uq́; Medusæa uenerabilis ægide Pallas,
T u quoq; quæ magnã sortita es & incolis urbem,
Quam præclara Ephyra profugi posuere coloni,
H îc ubi Lysimelæa uagis sonat icta procellis,
M agna Ceres, Cererisq́; Proserpina filia magnæ,
P ellite deuictos Siculis regionibus hostes,
V t trepidare fuga uis ultima cogat inermes,
L atáq; Sardoi tranantes æquora ponti
A cceptas narrent clades & funera natis
C oniugibusq́; suis, quos hauserit ensis amicos
D oricus, & Siculo prostratas Marte cohortes,
I am tunc noscendas numero tot cladibus actis.
T unc propriæ saluis habitentur ciuibus urbes,
D eiectæq́; arces iterum, quas perfidus hostis
D emolitus erat: tunc nudi cultibus agri,
E t neglecta nouo reparentur prata labore:
M ille greges ouium uiridantia gramina rursum
P ascant, & saturæ balent in pinguibus herbis:
V espertina mero portantes ubera lacte
P lena boues, iterum repetant sua tecta gregatim:
M esse sua longis uiduata noualia bellis
I ncipiant reparata nouas producere fruges,

Quum

Quum sua uocales repetunt arbusta cicadæ,
Insidiasq; cauent seruantum pascua, quando
Solibus æstiuis mediæ est lux plena diei,
Arma sibi sua quum fragiles net aranea telas.
Tunc & in arma tubæ sileant funesta uocantes,
Et bellum ne uoce quidem quis nominet ullum.
At laudum celebres Hieroni summa poëtæ
Constituant decora, æterno quæ prædita cantu
Transcendant Scythici spaciosa uolumina ponti,
Quáq; tenaci altum uinxisse bitumine murum
Dicitur, & latæ regnasse Semiramis urbi.
E multis tamen unus ego, quibus esse poëtis
Musa dedit, qui facta suis Arethusia plectris
Et fortem celebrant bellis Hierona gerendis,
O Etheoclisatæ Charites, Minyeia quondam
Inuisa Orchomeni Cadmæis mœnia Thebis
Quæ colitis, si nemo petat mea carmina, nulli
Inuito obtrudam quos non mereatur honores.
Sin aliquis petat, & laudari quærat, ad ipsum
Cum Musis ueniam nostris, & gaudia nostra
Musarū comitante choro sequar ipse, nec unquam
A uobis patiar diuelli: nam quid ubiq; est
Munere quod Charitū dempto sit amabile cuiquā?

V obiscum ô utinam liceat mihi uiuere totum
Quod superest uitæ, & reliquum finire laboris.

ARG. XVII. EIDYLLII.

Scribitur hoc Eidyllion ad Ptolemæum Philadelphum. Arati autem exordio usus est. Cæterùm Philadelphus ille Ptolemæus, Lagi & Berenices filius fuit. unde fallitur Munatius grammaticus, qui Theocriti tempora in Philopatrem transtulit, tanto temporis interstitio dissentiens.

THEOCRITI ENCOmion Ptolemæi.

Eidyllion XVII.

AB Ioue principium Musæ, Iouis ultima Musæ
Sit ratio: cantu quum maximus ille deorum
D ictus erit uestro, merita tum laude feremus
D e mortalibus extremum primumq; uirorum,
E t mediũ, Ptolemæon: in his nanq; optimus ille est.
C hari olim uirtute uiri quicunq; fuerunt
D ijs geniti, & noti primis heroës ab annis,
Quum nihil abiectũ, nihil ulla ex parte pudendum,
O mnia sed gererent patrio dignißima cœlo,
I nuenere suos opera immortalia uates
Qui canerent, famæq; darent memoranda futuræ.

Verùm

Verùm ego, quem faciles Musæ fecere poëtam,
Illustrem pulchro Ptolemæum carmine dicam:
Nam bona laudatos decorãt quoq; carmina diuos.
Arboribus densam ueniens lignator in Idam,
Anxius ingentis circumspicit omnia syluæ
Vnde opus incipiat, quæ primo iusta labori
Causa sit: haud alia mentem ratione fatigat
Nunc mihi materiæ pondus graue fine carentis
Quæ prima expediam, de tanto tamq; bonorum
Immenso numero, quibus immortalia tanti
Dij non difficiles decorarunt nomina regis,
Vsq; ab diuina maiorum gente suorum,
Qualis & ipse fuit Lagides, qui maxima posset
Perficere, ingenio meditari talia quisquam
Haud alius qui posset erat: sic scilicet illum
Dijs pater æqualem prouexit honoribus auctum:
Diuinis etenim Iouis in penetralibus illi
Ex auro stat facta domus, quem proxima iuxta
Magnus Alexander constrata sedilia seruat,
Persarum grauis in populum deus, immortali
Subdita cuius adhuc sapientia pectore regnat.
Quos contra sedem solido ex adamante paratam
Amphitryoniades statuit Ioue natus, & orbis

Monstrorum domitor, claua metuendus & arcu,
Cum reliquis celebrans conuiuia splendida diuis,
Ipse suis gaudens spectare nepotibus ortos,
Atq; sui generis dignos uirtute nepotes:
Quòd deus illorum uiridem per membra iuuentam
Fuderit, & procul inuisam tristémq; senectam
Iuppiter arcuerit: quòd & ipsi morte carentes
Dicantur diui: nullo iam corporis usu,
Et nec opus pedibus, ceu qui nascantur, habentes.
Nam fuit amborum proauus satus Hercule forti,
Et genus amborum totum numeratur ab ipso
Hercule, per proauósq; atauósq; ab origine prima,
Donec in ipsorum deducas tempora gentis
Diuinæ seriem, qui quum saturatur odoro
Nectare, conuiuas superos mensásq; reliquit
Ambrosias Ioue natus amatæ in coniugis ædes
Ingrediens, raptū ex humeris hinc protinus arcū
Cum pharetra dedit: illi autem Cyclopea ferri
Robora & exculptam nodoso stipite clauam,
Atq; illi in thalamum, diuino nectare odorum,
Deducunt Hebes albentis crura parentem
Prognatum Ioue, & arma simul, iam qualibus ipsa
Laudibus euicit parentes clara puellas

Pignora

P ignora, matronas inter ſapiens Berenice:
H uius enim regina Cypri ueneranda Diones
F ilia, molliculos digitos complexa manusq́;
I n fragrante ſinu fouit: quia ſcilicet unquam
N ulla puella uiro tantum placuiſſe putatur,
V xorem quantum ipſe ſuam Ptolemæus amauit:
E t redamabatur certè, & plus uxor amabat:
E x tam legitimo, tam firmo ab amore creatis
C ommittunt pueris tutò omnia, remq́; domumq́;,
S i quando uir amans in lectum uadit amantis.
A t mulier fido quæ non reſpondet amori,
I lla uiri lectos alieni in pectore uerſat
S emper: & hinc faciles naſcēda in pignora fœtus;
S ed nunquam ſimilis natorum forma paternæ.
D iuarum ueneranda Venus, pulcherrima uultu,
I pſa tibi curæ fuit excellens Berenice,
P er te Cocyti mœſtam non tranſijt undam,
S ed prius obſcuræ quàm littora prima paludis
A ttigit, & triſtem morientibus undiq; nautam,
H anc rapiens Venus in tua templa ſacrata locaſti,
F ouiſtiq́; tuos ceu natæ mater honores.
O mnibus illa fauens mortalibus eſt dea, quorum
P ectoribus uacuis molles aſpirat amores,

A tq; leues fido dat amanti ducere curas,
N igra superciliјs Argea amplexa torosum
T ydea, sternentem Diomeden fortia partu
E nixa es clarum terra Calydonide regem,
A lta sinus undosa Thetis tibi Theßale Peleu
H ectorei peperit domitorem Martis Achillem.
T e generose dedit partu Ptolemææ beato
D iua parens Berenice indeuicto Ptolemæo.
N utriјt alta Coos puerum te à matre receptum
T empore quo primum uidisti lumen, & auras
V itales teneris hausisti flatibus infans.
N anq; ibi soluentem grauido de corpore zonam
I lithyian parturiens in uota uocauit:
N anq; laborabat grauiter tum filia pulchræ
A ntigones, illi partus tum diua leuatrix
A dfuit, atq; omnem pepulit per membra dolorem.
Aeditus ergo patri similisq́; & amabilis ipsi
E st puer: hunc spectans media Cos insita ponto
C ontrectãs manibusq́; & amica in brachia sumẽs,
T alibus est tenerum uerbis affata puellum:
E uge beate puer, felix age fulgeat ortus
H ic tuus: ah tu me tanto digneris honore,
Quanto cœruleam Delon manifestus Apollo

Et Trio-

Et Triopon cultu collem uenereris eodem,
Quo rex æqualem Rhenæan amauit Apollo.
Hæc ubi dixiſſet, maternis inſula uerbis
Protinus inſonuit clara ter uoce ſub altis
Nubibus, augurio firmans Iouis ales aperto
Omnia: at hoc magno ſignum de rege ſecundet
Qui dedit ipſe deus: nam certè eſt maximus ille
Atq; uir egregius, quem mox ut prodit in auras
Sic amat, & primo confirmat Iuppiter ortu.
Illum ſponte ſua felicia cuncta ſequuntur:
Diuitiæ ueniunt illi: nunc poßidet ergo
Et maris, & terræ ſpacia infinita, tenetq;
Innumeras gentes, quæ feſta pace quietæ
Frugifero pingues exercent uomere campos,
Continuisq; colunt creſcentes imbribus agros.
Sed non ulla magis facili ſe prodiga partu
Terra aperit, quàm plana ſuis Aegyptia tellus
Frugibus exuperat reliquas, quũ Nilus inundans
Fructifero putres emollit flumine glebas.
Tot nemo populos, nemo tot poſſidet urbes
Plenas artificum, plenas opera omnia agentum.
Illi tercentum celſis ſtant mœnibus urbes,
Inde ſupra tres myriadas tria millia, porrò

Adde duas triadas, pone inſuper hendecadas tres.
Tot populis dat iura, tot urbibus imperat ille
Gloria magnorum Ptolemæus maxima regum.
Præterea partemq́; tenet Phœnicidos oræ,
Atq; Arabum partem, felicia thura legentum,
Diuitis & Syriæ Libyæq́; propinqua tenentis,
Quicquid & Aethiopum, uicino ſole calentum,
Poßidet à populis, nihilo minus imperat omni
Pamphyliæ, Caribus leuibus, Lycijsq́; proteruis,
Et Cilicum quicunq; habitant felicibus aruis,
Cycladibusq́; uago diſperſis orbe per æquor.
Nauibus ille quidem præſtat, claſſesq́; per omnem
Mittit & innumero conſternit milite pontum,
Et maris imperium latè tenet: illius omnes
Mandatis parent terræ, fluuijq́; ſonantes.
Plurima ſunt equitum claudentes agmina turmæ,
Sunt clypeis denſi pedites, nitidoq́; cohortes
Aere refulgentes, aciebus in ordine pulchro
Denſatis, ſtrepitu ferientibus aſtra ſonoro.
Diuitijs & opum faſtu magnoq́; paratu,
Omnes terrarum reges premit, omnia fundit,
Aßiduè felix fœcundo copia cornu.
Tempore non aliquo diues uacat aula beatis

Muneri-

Muneribus, toto ac diuerso ex orbe profectis.
Incumbunt operis populi, durosq; labores
Tranquilla exercent in pace & ab hoste quieti:
Nemo pedes siquidem piscosi littora Nili
Transgreditur, manibusq; aliena inuadit iniquis,
Aut bellum mouet, aut ullo Ptolemæia regna
Miscet agens subitos arrepta per arma tumultus:
Nemo etiam quamuis celeri de naue propinquum
Exilit in littus prædatum ouiumq; boumq;
Armenta, & spolians Aegyptia regna colentes.
Talis habet regem seruandi cura paterni
Imperij, talis populo rex præsidet ipsi
Flauicomus Ptolemæus, in omnia maxima natus:
Præcipuè uir in arma potens, cui cura parentum
Omnia conseruare laboribus aucta, uicißim
Parta labore suo patrias augere per artes.
Sed nec inutilibus tam regia diues abundat
Diuitijs, quibus in capsas & auita repostis
Scrinia parcatur, nullum admittentibus usum,
Ceu formicarum congestis nuper aceruis:
Sed quorum bona pars diuorum cedat honori,
Vel quum templa nouo reparat pereuntia cultu,
Vel noua constituit, uel splendida munera soluit

P rimitias, cumulatq; suis altaria donis,
R ex pius in superos: quin plurima regibus idem
D ona alijs tribuit: sed & urbibus inclyta multis
M unera transmittit: socios quoq; larga fideles
D extera prosequitur: sacra ad certamina Bacchi
N emo unquam ueniens cantor discessit inanis:
Quin potius docta præstantibus arte canendi
M unera contribuit se digna, nec arte minora.
A t laudes Ptolemæe tuas sacra carmina uatum
P ro meritis celebrant: quoniam bona multa poëtis
T u facis, & ueros Musis impendis honores.
N am quid amabilius, quid pulchrius esse per orbem
I ntegrum poterit, quàm pulchræ nomina famæ
A ccipere, atq; homines inter uirtute mereri
I llustrem æternos quæ gloria duret in annos?
H æc manet Atridis etiam nunc, illa profectò
I nfinita domus Priami bona diuitis altæ:
E tsi legitima belli ratione tulerunt:
H aud tamen illa manent, sed in atri partibus orbis
C lausa latent, reditum duris adimentibus umbris.
S olus hic extinguens uestigia prisca parentum
A dscriptus numero diuûm facit esse uideri.
E rgo patri diuo, diuæq; insignia matri,

Thureq́; odorifero fumantia templa dicauit:
In quibus ipsorum statuas dum collocat auro
Addens nobile ebur, diuos facit esse uocandos
Omnibus, & toto laturos orbe salutem.
Atq; illis dum sacra facit, præpinguia adurit
Viscera multa boum, taurosq́; rubentibus aris
Imponit mactans totius mensibus anni
Ipse & amans coniux: qua non felicior unquã est
Vlla puella uirum cupidis complexa lacertis,
Nulla boni meliora tulit connubia sponsi.
Ergo amat ex animo coniux fratremq́; uirumq́;.
Taliter in thalamum quondam coiere iugalem
Quos Rheam genuisse ferunt, quibus omnia parent,
Sic se complexi fratrem soror, ille sororem
Iuppiter & Iuno lectum uenere in eundem,
Quem strauisse ferunt redolentibus Irida palmis.
Salue rex Ptolemæe, tuos ego semper honores,
Sicut & heroum laudes & facta aliorum
Carmine non humili, nec quod contemnere possit
Posteritas uentura, canam: tibi Iuppiter æquus
Virtutem dabit, & faciet uirtute beatum.

ARG. XVIII. EIDYLLII.

Inscribitur præsens Eidyllion *Helenæ epithalamium, & huc nonnulla ex primo Stesichori Helenæ epithalamio translata sunt. Porrò epithalamiorum alia quidem cantantur uespere, quæ* κατακοιμητικὰ *uocantur, & ea ad mediã usq; noctem durant: alia uerò sunt* ὄρθρια, *id est matutinalia, siue dilucularia, quæ etiam* διεγερτικὰ *appellant. Hoc autẽ epithalamium uirgines canunt ante thalamum, quo minus uirginis exaudiri uox, uiri impetum sustinentis, poßit: ita enim puellarum perstrepente uoce, uim illam occultare facilius est. Porrò Menelai & Helenes filij traduntur Sosiphanes & Iolmas, filiæ autem Melite & Hermione.*

THEOCRITI EPITHAlamion Helenes.

Eidyllion XVIII.

Ad ueteres claræ quondã Lacedæmonis arces
Constitit igniferis Hymenæus tẽpora ramis
E uinctus, qua regia flauicomi Menelai
S tat uetus: huc uiridi bis sex in ueste puellæ
D electæ numero ex omni, quas illa tenebant
M œnia, progressæ festas duxere choreas
A nte recens pictum thalamum, quum filius Atrei
E geminis natu minor, & florentior annis.

Tyndaridam

Tyndaridam ſibi dilectam deſpondit, & intra
Duxit legitimi ſecreta cubilia lecti.
Ergo omnes una plaudebant uoce canentes,
Complexuq́; pedum quatiebant præpete terram,
Ipſa domus feſto reſonabat tota Hymenæo.
Ergó ne placidæ ſic indulſiſſe quieti
Optime ſponſe iuuat? celeresq́; ita carpere ſomnos,
Ceu tremebunda genu tibi ſura uacillet acuto?
Nunquid amans ſomni nimium es? num uina bibiſti
Plurima, quæ tibi membra grauent? quia pectore
Irruis, & placidi petis alta cubilia lecti. (toto
Ipſum te ſiquidem decuit dormire per horas
Quas uelles longæ quo tempore cunq; diei.
At dulcem ſineres circa ſua gaudia matrem
Ipſam uirginibus miſtam luſiſſe puellis
Quæ tibi nupta data eſt in multæ tempora lucis:
Quandoqdē quæ nupta tibi eſt, tua nupta futura eſt
Perpetuò, ſiue oceani ſe condat in unda,
Siue nouo Phœbus terras illuſtret Eoo.
Præterea non illa tibi ſubeuntibus annis
Deerit, & in longi ſpacium deſeruiet æui.
Felix ô Menelaë, nouisq́; beate Hymenæis,
Felici auſpicio Spartæ præclara petiſti

Mœnia, mille alijs primas quæsita uirorum.
Nunc quia te faciunt uoti pia fata potentem,
Semideos inter tu solus habebere magni
Et gener ipse Iouis, socer & tibi Iuppiter ipse,
Et tecum thalamos Ioue nata subibit eosdem,
Qualis Acheiadum non est alia ulla per urbes,
Tam non mortalis diuino munere formæ:
Quæ satis eximium dederit tibi candida prolem,
Si matri similem fœcundo effuderit aluo.
Nos igitur quibus una ætas, quas unus ad undam
Eurotæ labor exercet iuueniliter unctas,
Lauriferoq; sacræ currentes margine ripæ,
Sexaginta quater numero sumus, omnibus idē est
Virginitatis amor, muliebris & apta iuuentus:
Non tamen è nobis tam forma est ulla beata,
Quæ caruisse nota posšit collata uenustæ
Tyndaridi: nam sicut ubi nox alma recesšit
Os croceum cœlo profert aurora renascens,
Sicut & inuisæ quum ce dunt tempora brumæ
Ver placidum terras aperit candore niuali,
Sic Helenæ formosa chori decora omnia nostri
Exuperat: tali nos inter lumine fulget
Illa decens & magna, ut in aruis plana nouelli

Exuperant

Exuperant sulci: uelut hortum pulchra cupressus,
Sicut equus currum uelocem Thessalus ornat,
Sic roseas formosa genas Lacedæmona claram
Ornamento Helene decorat: tam pulchra profectò
Nemo opera in calatho distinxerit omnibus ullo
Floribus, aut radio texens tam stamen acuto
Neuerit in uariam per longa uolumina telam,
Tam doctè citharam nemo percussit eburnam,
Siue canens latum clypeatam Pallada pectus,
Siue tuam radijs nitidissime Phœbe sororem,
Quàm formosa Helene, cuius de lumine utroq;
Spirant omnigeni desideria inter amores.
O formosa puella, ô dotibus inclyta gratis:
Tu siquidem nunc tecta domus petis alta maritæ,
Nos cursum solitum, & campestria prata petentes
Inter odoriferas folijs crispantibus herbas
Dulcia spirantes uario de flore corollas
Texemus tibi, nosq; tui meminisse iuuabit.
Ubera ceu lactens desiderat agna parentis,
Sic memores nos diua tui de fronde coronam
Nectemus per humum loti crescentis, & ipsam
Umbrosa platani ponemus in arbore: post hæc
Promentes oleum, quod uasa argentea seruant,

L atiuagæ gelida platani fundemus in umbra,
S cribemusq; leui molles in cortice uersus,
V t legat hoc aliquis, sed scriptum Doride Musa:
P lãta Helenæ sum sacra, hospes uenerare sacratã,
S alue sponsa, tu ô salueto sponse beate
E t felix socero, Latona puerpera uobis,
D et uobis Latona puerpera pignora fausto
S uccessu párere, & plures superesse per annos.
V obis alma Venus, uobis Venus ignibus æquis
C oncedat flagrare extremos usq; sub annos:
I uppiter auctet opes uobis, uos Iuppiter ipse
A ugeat, ut multa firmata propagine uestri
N obilitas generis longo extendatur in æuo,
M utuáq; ut pariles aspirent pectora curæ.
V t uester quicquid desiderat impleat ardor:
N unc geniali operam lecto date, surgere ne'ue
E xcidat, Eoos quando conspecta iugales
D iua pudoricolor croceo uelabit amictu:
A tria nos certè redeuntes ista uidebunt
M anè ubi purpureæ lucis prænuncius ales
Aediderit primam uocem, & concusserit alas.
N unc ô nunc Hymenæe uale, nunc ista secundo
A uspicio, & læto celebra connubia uultu.

THEOCRI-

THEOCRITI EPITAphium Bionis.

EIDYLLION XIX.

TRistia lugentes suspiria ducite syluæ,
Nunc mihi Sicelides, et amaræ Doridos undæ
Flumina, nunc deflete peremptum morte Biona,
Nunc tristes plantæ lacrymarum fundite guttas,
Nunc nemora & saltus miseris ululate querelis,
Tristibus ô mœsti flores spiratæ corymbis,
Nunc lugubre rosæ rubeant, nunc triste papauer,
Nunc hyacinthe sonet tua littera, scilicet αι αι.
Non tamen hoc satis est αι αι: plus ergo loquatur,
Litterulasq; uelis folijs inscribere plures:
Occidit indigna confectus morte poëta.
Dicite Sicelides lugentes, dicite Musæ,
Strimoni nunc flete ad aquas lugubria cygni,
Clangite flebilibus funebria carmina collis,
Qualem de uestris labris dedit ipse canorem,
Quale melos cecinit per stagna Oeagria Nymphis.
Dicite, Bisthonijsq; palàm narrate puellis:
Interijt fato crudeli Doricus Orpheus.
Dicite Sicelides lugentes, dicite Musæ.

Quem pecus omne cupit, quē grex desiderat omnis,
Non canit amplius ille, sub arboribus desertis
Non sedet amplius ille canens, sed ditis in aula
Immemores hymnos, & longa obliuia cantat.
Nunc omnes muti scopulosa cacumina montes,
Omnia nunc armenta tacent, tauriq; bouesq;
Errantes ululant, nec dulcia gramina carpunt.
Dicite Sicelides lugentes, dicite Musæ.
Ipse tuam mortem flauus defleuit Apollo
Ante diem sublate Bion, te lumine cassum
Et Satyri lugent, & nigra in ueste Priapi,
Longaq; capripedes ducunt suspiria Panes,
Per syluas etiam lugent te Naiades udæ,
Omnis & in lacrymas conuersa est unda profusas:
Ipsa uagans tacitis petrosa per auia lustris
Mœsta dolet, quoniam tibi non respondeat, Echo,
Quòd sileat, quòd non imitetur labra canentis
Amplius: ad cuius mortem sunt protinus omne
Arboribus fructus deiecti, floribus omne
Interijt uigor, ipse ouibus defecerat humor
Lactis, & aluea non aliquo iam melle fluebant,
Sed cera moriebantur lugubre sub ipsa,
Extincto nec melle tuo diuine poëta.

Promere

Promere mel aliud nobis uel habere necesse est.
Dicite Sicelides lugentes, dicite Musæ.
Non tantum æquoreis Delphin lugebat in undis,
Nec tantū in scopulis questa est philomela remotis,
Nec tantum aërios per montes fleuit hirundo,
Nec tantum Alcyone potuit sensiße dolorem,
Amissum Ceyca suum quo tempore flebat.
Dicite Sicelides lugentes, dicite Musæ.
Nec uerò tantum glaucis in fluctibus olim
Cerylus ingemuit, nec tantum in uallibus Euri
Memnona deflerunt uolucres ad busta uolantes,
Quantum omnes lugent extincti fata Bionis.
Dicite Sicelides lugentes, dicite Musæ.
Lusciniæ cantu suaues, atq; omnis hirundo.
Ille canens olim quos oblectare solebat,
Quasq; loqui docuit densa sub fronde sedentes
Mutua flebilibus diffundunt carmina linguis,
Et quibus ipsæ olim recinebant sæpe columbæ
Tristia lugubri recinunt sua murmura cantu:
Nos quoq; triste leui modulamur carmen auena.
Dicite Sicelides lugentes, dicite Musæ.
Quis nunc, quis calamosq; leues syringaq; dulcem
Inflabit, ter & amplius ô adamate poëta?

O re quis audebit tales contingere cannas?
N anq; tuum ſpirant & adhuc os, guttura flatum,
I pſa tuis denſa ſub arundine uocibus Echo
P aſcitur, & cupidis mandit tua carmina labris.
Quæ nunc ipſa fero Pani, qui forſan & ipſe
C arminibus certare tuis uereatur & ori,
N e tecum cantando ferat fortaſſe ſecundas.
N unc etiam, quo te quondam oblectare ſolebas,
S pectantem fluctus, in littoribusq; ſedentem
F let Galatea melos: nec enim tu qualia Cyclops
(Hunc fugiebat enim) cantabas carmina, ſed te
A ſpiciens formoſa choros Galatea mouebat,
N unc oblita maris deſerta in littore uaccas
P aſcit adhuc, quas tu quondam ſeruare ſolebas.
Dicite Sicelides lugentes, dicite Muſæ.
O mnia Muſarum demortua munera paſtor
S unt tecum, periere tenerrima baſia tecum
C uncta puellarum latam per Doridos oram.
I mpia nunc mœſti tua fata queruntur amores
A nte ſepulchralem tumulum: te Cypris amauit
P lus quàm quæ charo dedit oſcula nuper Adonidi,
I llo quo iuuenem morientem contigit ore.
H ic tibi nunc fluuiorum ô uocaliſsime mœror,

H ic alter dolor ille tuos depascitur artus.
I nterijt siquidem quondam diuinus Homerus,
I psius hoc os Calliopes tam dulce sonansq́;,
Quem tu flebilibus lacrymis & uoce sequutus,
I mpia tam dulcis deploras funera nati
L ittora, & indigno implesti maria omnia planctu.
F ilius en alter tibi nunc defletur, & ægro
I llius ob mortem consumeris ossa dolore.
M usarum siquidem biberant de fontibus ambo:
P egasidum latices de fontibus ille bibebat:
S icelis huic cupidas fauces Arethusa rigabat.
I lle malum cecinit Troiæ fatale Lacænam
E t magnũ Thetidis lacrymosa ad Pergama natum,
E t cum forti Agamemnone flauicomũ Menelaum:
H ic uerò non bella, aut tristia facta canebat,
S yluestrem sed Pana, boues in pascua ducens,
O blectabat amœno carmine, pauit & ipsos,
C omponens tenui dulces syringas auena:
F ormosis docuit dare basia grata puellis,
I nq́; sinu Venerem & dulces nutribat amores.
Dicite Sicelides lugentes, dicite Musæ.
O mnes præclaris orbatæ ciuibus urbes
I llustres fleuere suos ceu numina ciues.

T e luget breuis ipsa suo plus Ascra poëta,
C armina nec tantum Bœotidos aurea syluæ
P yndaricæ fleuere lyræ, quantum tua lugent:
A lcæo plus ipsa suo te Lesbos ademptum
L uget, & ipsa suo plus Ceia mœnia uate,
T e plus Archilocho Paros ingemit, inclyta Sappho
C arminibus positis tua cantat adhuc Mitylene:
C arminibus quicunq; ualent & uoce poëtæ
D eplorant tua fata Bion, te funere mersum
S icelides, decus ille Sami deplorat, at inter
C onsueuit quibus ille prius ridere Cydonas
L uminibus lacrymas Lycidas nunc fundit inanes,
T riopidum uerò te deflet in urbe Philetas,
T estaturq; suos lugens ad Alenta dolores.
I pse Syracusiæ tua fata Theocritus urbi
C õqueritur mõstrat: sed & hæc ego mœsta doloris
A usonici sero officio tibi carmina soluo,
Qui non hospes in hæc pastoria carmina ueni,
S ed quæ discipulus didici tuus, atq; Camœnas
A dsero ceu proprias Siculæ per Doridos oram:
D iuitias alijs, mihi carmina sola relinquens.
Dicite Sicelides lugentes, dicite Musæ.
H eu mihi quòd maluæ uirides & adhuc redolẽtes,

Atq;

Atq; apium uiride, & quod totum floret anethum
Saepe reuiuiscunt, & in annum deinde reuerso
Sole renascuntur: nos magni, nosq́; potentes,
Quum semel occidimus, quàm prima fata subimus,
Condimur in terram, atq; intra caua busta reclusi
Perpetuo durum dormimus tempore somnum.
Et tua clare Bion nunc molliter ossa quiescunt,
Perpetuoq́; tacens, terra sepeliris in alta.
Batrachon at nymphis placuit superesse poëtam,
Et semper cantare aliquid: quod scilicet illi
Haudquaquã inuideo: nam pessima carmina cantat.
Dicite Sicelides lugentes, dicite Musae.
Noxia crudeli tibi sunt data pharmaca dextra
Clare Bion, certè tu dira uenena bibisti.
Quis tamen accessit quem non tua labra sonoro
Mouerunt cantu? quis tam serus ille? quis autem
Tam crudelis erat, qui uel tibi miscuit? aut qui
Mista dari iussit tibi pharmaca, nec sit captus
Carminibus, miraq́; tui dulcedine cantus?
Dicite Sicelides lugentes, dicite Musae.
Iusticiam sed nemo potest euadere quisquam.
Verùm ego nunc luctu afficior te propter acerbo,
Et lacrymas fundo: quòd si descendere possem

V iuus ad inferni Phlegetontia tartara ditis
S icut & Iſmarius cithara uenerabilis Orpheus,
E t Laërtiades Troiæ populator Vlyſſes:
S icut & Alcides quondam deſcendit, & ipſe
F ortè domum peterem Plutonis & alta ſilentum
L imina, ut inſpicerem nunquid pallentibus umbris,
E t magno caneres & qualia carmina Diti
A udirem: ſed tu dominæ noua carmina Ditis
B ucolicum Siculumq; melos cane, quod iuuet illã:
I lla quidem Siculis etiam conſueuerat olim
L udere littoribus, patriæq; in uallibus Aetnæ
D orica uirginea modulari carmina lingua.
N on ſine honore canes, nõ præmia nulla dabũtur:
V t blandis citharæ modulanti cantibus Orphei
R eddidit Eurydicen, ſic te quoq; fortè remittet
M ontibus his diuine Bion: quòd ſi mihi Muſæ
S int faciles, nihil addubitem quin protinus ipſam
A ccedam, & blando Plutonem carmine tentem.

THEOCRITI EVROPA.

Eidyllion XX.

EVropæ placidũ quondã per membra ſoporem
Immiſit Venus, & nocturno dulcia uiſu

S omnia non uanis dedit apparere figuris.
Tempus erat, iam ſydereæ pars tertia noctis
T ranſierat, propè erat roſeis aurora quadrigis:
T empore quo mollis gratiſsima munera ſomni
I rrepunt uinclisq́; ligant prædulcibus artus,
V eraq́; per cunctas paſcuntur ſomnia terras:
E xcelſa placidam carpebat in arce quietem
V irginitatis adhuc uernans in flore pudicæ
F ilia phœnicis formoſa Europa ſuperbi,
T alia quum tacita ſub nocte inſomnia uidit.
Forte duas terras, Aſiam, quæq́; obtinet oram
L ittoris oppoſiti, pro ſe certare putabat:
V traq; fœminei præſtabat imagine cultus.
E x his plus Aſie contendere uiſa, puellam
E ſſe ſuam, ſe uitales ædiſſe ſub auras,
S e genitam ſibi præſentes aluiſſe ſub annos:
A ltera præualidis manibus tractabat, & ipſam
N on tamen inuitam rapiens, fatalia dixit
I ſta dari Iouis arbitrio ſibi præmia magni
E uropen. placida quum nox excuſſa quiete eſt,
D eſiluit thalamis, ut erat conterrita, pulchris,
E t ſtupefacta nouis animum per talia monſtris
V iſa, diu tacitè ſedit, manibusq́; quietis

Sicut adhuc oculis geminas adsistere coram
Matronas cupido contendere cerneret ausu,
Tandẽ hæc attonita, sibi reddita, uoce loquuta est:
Quis superũ noua mõstra? quis hæc mihi somnia misit?
Corpora quæ grata requie defessa fouenti
Mollibus in lectis, thalamíq; cubilibus alti,
Tam certis uacuum uenere per aëra pennis,
Quæ nam mihi uisa dulcis sub imagine somni
Hospes erat mulier? quàm me succendit amore
Illa sui? quàm me uultu suscepit amico,
Agnouitq; suam ceu quæ peperisset & ipsam?
Sed tamen ista bono faciles mihi somnia diuos
Testor ut eueniant. hæc illa loquuta, requirit
Protinus æquales genere atq; ætate puellas,
Dilectasq; sibi socias, quibus ipsa solebat
Collusisse, choros si quando, aut festa parabat
Gaudia, siue undis liquidi laueretur Anauri,
Aut uarios legeret per prata nitentia flores,
Atq; illi sociæ mox apparere puellæ
Incipiunt, calathos implendos floribus omnes
Gestantes manibus niueis, & prata petentes
Proxima littoribus, quò sæpe uenire suetæ
Quærebant roseis grata oblectamina campis,

Curuaq;

Curuaq́; spectabant ferientes littora fluctus,
Quas inter calathum de uimine textilis auri
Ipsa tulit pulchrum Vulcania dona laborem,
Quem Libyæ dedit ignipotens, quo tempore primū
Neptuni intrauit thalamos, hæc Telephaësse
Sanguine coniunctæ sibi: Telephaëssa pudicæ
Mater Agenoridi tantum dedit inclyta donum,
Munera dædaliam multùm spectanda per artem.
Illic artifici desculpta erat Inachis auro,
Ipsa bouem referens & adhuc mugitibus Iò
Apta, sed ingenium retinens animumq́; puellæ,
Triste uidebatur rapido pede nare per æquor:
Cœruleum nanq; ignipotens desculpserat æquor:
E regione uiri stabant duo littore in alto,
Mirantes liquida arua bouem transire natantem.
Verùm illic inerat quoq; Iuppiter, ille iuuencam
Leniter attrectans manibus cœlestibus, illi
Blandus erat, tandemq́; exutam cornibus Iò
Aduaga delatam septemplicis ostia Nili
Pristina restituit formosæ in membra puellæ.
Stabat enim referens argentea cornua Nilus,
Aerea uacca fuit, cælatum Iuppiter aurum
Extrema circum calathi rutilantis in ora

S culpserat, idem opifex Ioue natū et Pleiade Maia,
Quem prope sicut erat uirga confectus & Harpe,
L umina perpetuo, quondam intentissima, somno
F ractus in æquorea iacuit uigil Argus arena,
C uius ab effuso quæ sanguine prodijt ales
F lorigeris uarios pennis imitata colores
S tabat, & amplexu caudæ ceu naue tegebat
E xtremas calathi pennis umbrantibus oras.
T alem quum calathum speciosa Europa ferebat,
V t simul in pratum uarijs uenere uirentem
F loribus, hîc alias aliæ cepere parato
V ere uoluptates: hyacinthum hæc legit odorum,
I sta uerecundo narcissum flore comantem:
H æc breuibus folijs serpilla uirentia carpsit,
M ultaq; decliui nascentia proxima terræ
G ermina, molle crocum carpentes floris odori,
G ramina contundunt: quas inter regia uirgo
I t media incedens, & lilia summa rosarum
D emetit: ignito ueluti fulgore micantum
Q ualis cincta choro Charitū Venus, omnibns una
P lus decet, illa quidem nec uirginitatis honorem
S eruatura diu, nec lilia pulchra legendo
I ndultura animo: nam uisa Iuppiter illa

Vulnera

V ulnera Cypriaca noua fixus arundine sensit,
S ola quidem Cytherea Iouē domat ipsa superbū,
Qui nunc zelotypæ metuens Iunonis ab ira,
E t teneram captare uolens in uirgine mentem,
E sse deum cælat, solitæq; insignia formæ
P onit, & induitur speciosi corpore tauri.
N on tamen aut qualis stabulis nutritur in altis,
A ut qualis domito trahit esseda grandia collo.
H unc formæ melioris honor cōmendat: in omni est
P arte color flauus formosi corporis: albam
Aequali spacio distantia cornua frontem
O rnabant: non magna quidem, sed qualia lunæ
D ixeris, in medium quum se uaga cōtrahit orbem.
T alis ubi in prati uiridantia pascua uenit,
N on torua timidas terrebat fronte puellas,
S ed magis allectos uultus probitate trahebat,
N ullaq; non fieri propior cupiebat, & ipsum
C ontrectare manu: cuius de corpore spirans
I mmortalis odor, fragrantia lilia prati
V incebat: stetit ante pedes ab Agenore natæ,
L ambebatq; manus & eburnea colla puellæ,
D ecepitq; animum non duræ uirginis: ipsum
I lla tenens manibus sensim contrectat, & albam

Abstergens labris spumam, simul oscula iungit.
Ille sonans blanda summugit uoce, putaris
Mygdonis audiri quos reddit tibia cantus.
Iam uerò ante pedes sese inclinatus amator
Proijcit Europæ, simul hanc ceruice reflexa
Aspicit, ostentans lati mollißima dorsi
Tergora, longicomas quum sic affata puellas
Dicitur ipsa: agite ô sociæ, considere mecum
Quid prohibet tergo bouis huius amabilis? & iam
Non secus ac nauem placidißima terga reclinans
Omnes accipiet uultu mansuetus, & ipso
Blandus ab aspectu, non iam simulantia tauris
Ora gerens alijs, & certè uiuus in ipso
Est animus, tantumq; humanæ uocis egebat.
Hæc effata bouem ridens conscendit, & alto
Insilijt tergo: reliquas cunctatio præsens
Detinuit: prædam raptor mox taurus amatam
Constringebat agens, & proxima littora saltu
Contingens, rapido cursu peruenit in æquor.
At conuersa retro socias uocat ipsa puellas
Europe, tenditq; manus: timor impedit illas,
Nec potuere sequi, iam marmora salsa tenentem,
Atq; altos fluctus delphini more secantem.

Tum

T um uerò ex ima Nereïdes æquoris unda
G randia progressæ cetëia terga tenebant
I nnantes: mare Neptunus tranquillat, ab undis
G randisonum caput attollens, fratriq́; marinum
S ternit iter: circum hunc madidi Tritones euntes,
C œrulei maris indigenæ, conchisq́; sonantes
O blongis, Pæana Hymenæaq́; sacra canebant.
I psa sedens Iouis in tergo bouis, hac tenet uncum
C ornu, læua manus uestes legit, uda plicatas
N e riget unda maris: nam quæ per longa pependit
E x humeris tremulo sinuata est flamine uestis:
N on secus ac leuibus uolitantia uela carinis:
S ic ut & Europen quadam tenus ipsa leuaret.
Quæ postquam patriæ de littore longius oræ
A bfuit, & neq; iam littus montes'ue uidentur,
I amq́; nihil uacuum nisi desuper aëra cernit,
P ræter aquas infrà uasta feritate patentes,
C ircùm prospiciens timido sic ore loquuta est:
Quò me taure rapis? qs eras? quibus artibus usus
H as potes ire uias, nullis hominum'ue ferarum'ue
E mensas pedibus? neq; te mare terret euntem,
Quum tantum rapidæ superent uada cœrula naues,
E t tauros sit fama uias metuisse marinas?

Vnde tibi dulcem potu mare proferet undam?
Vnde cibum dabit? an'ne aliquis tu taure deorum?
Quòd si es, cur indigna deis facis? at neq; sicci
Per terram delphines eunt, neq; per mare tauri:
Tu uerò & terra uadis, neq; mergeris unda
Aequoris, officium remorum sustinet anceps
Vngula: quàm uereor ne mox & in aëra summum
Sublatus uolites, auiumq́; similimus alas
Aërias moueas: miseram me scilicet, ecquid
Ipsa domum linquens patriam taurumq́; sequuta
Naue peregrinas tauro feror exul in oras?
At tu magne uagæ Neptune tridentifer undæ
Sis placidus, quem luminibus iam cernere ueris
Ipsa mihi uideor, sternentem paßibus undas
Lenibus æquoreas, cursumq́; tridente regentem,
Non hæc absq; deo peragro freta cœrula ponti,
Humentesq́; uias pelagi. sic illa loquuta
Conticuit: quam sic affatus corniger est bos.
Fide animo, ne uirgo time quas aspicis undas
Aequoreas, ego sum magni moderator olympi,
Quem nunc adsimilem tauro sub imagine falsa
Ire uides: quoniam possum apparere figura
Qua uolui, quandoq́; libet: tuus ardor amantem
Me trahit

Me trahit, & taurum tanti maris æquora iußit
Metiri: iam te Crete, quæ me quoq; paruum
Nutriijt, excipiet sponsam Iouis: ipsa iugales
Creta tibi thalamos, & sacra Hymenæa parabit:
Ipsa ex me paries clarißima pignora, natos
Sceptrigeros, reges in maxima regna futuros.
Dixit, & euenit quod dixerat: inclyta nanq;
Iam Creta apparet: quem postquã Iuppiter orbem
Attigit, hîc falsi deponit cornua tauri,
Fitq; quod esse decet, soluentem uirginis oram,
Atq; pudicitiæ primum libantis honorem.
Huic lectum celeres sternebant pluribus Horæ
Floribus: ipsa prius uirgo, Ioue sponsa marito
Prodijt, & facta est non uno pignore mater.

MOSCHI AMOR FVGITIVVS.

Eidyllion XXI.

QVærebat profugum quondam per deuia natũ
Cypris, & inclamans clara sic uoce locuta
Nónne quis in triuijs errantẽ uidit Amorem? (est:
Ille meus puer est, qui nunc fugitiuus aberrat.
Mercedem tali feret index munere dignam,
Suauiolum Veneris: si uerò adduxeris illum,
Non iam suauiolum tantum, plus hospes habebis.

Plurima signa insunt puero, si uideris inter
Fortè quater quinos alios, cognoscere promptum (est.
Non est alba cutis, color inficit igneus, acres
Flammantesq; oculi, mens improba, mellea linguæ
Gratia, quod loquitur non sentit: atrocibus iræ
Si quando stimulis agitur mens aspera sæuit,
Fraude dolisq; puer fallax, mendacia miscens,
Crudeles ludos agit, aurea uernat in ipsa
Vertice cæsaries, fronti non est pudor ullus,
Parua manus: uerùm longè iaculatur, in ipsum
Sæpe Acheronta iacit, Plutonia regna lacessens,
Nudum corpus habet, mentem fallacia uelat,
More auium quatit excutiens per brachia pennas,
Nunc hos, nunc alios petit, atq; in uiscera serpit
Saucia sæpe uiri, percussæ sæpe puellæ.
Paruulus est illi quem contrahit omnibus arcus,
Impositum neruo telum breue, quo tamen ipse
Sydera summa ferit: tergo tenus aurea pendet
Plena uenenatis calamis & parua pharetra:
Me quoq; sæpe ipsam calamis ferientibus: & sunt
Omnia sæua isthæc: sed multò sæuior illa
Parua manu fax est, qua Solem sæpe perurit.
Quòd si ceperis hunc, strictũ preme, ne qua uideto

Te capiat

Te capiat flentis miseratio: riserit autem,
Fortius ipse liga: consurget in oscula, noli
Consentire, mala hæc sunt oscula, labra ueneno
Tota tument, atq; ipsa malum sunt labra uenenum.
Dixerit: hospes habe, nostra hæc tibi tradimus ar-
Et simul obtulerit, nihil accipe: talibus armis (ma:
Fallit, & ignitum deriuat in ossa uenenum:
Omnia nanq; ferunt certum dona illius ignem.

THEOCRITI CVPIdo Mellilegus.

Eidyllion XXII.

MElla pharetrato furanti nuper Amori
Extremis manuum digitis mordentia figunt
Spicula mellificæ uolucres: dolet ille, pedemq;
Incutiens terræ, citus auolat, actaq; matri
Vulnera cõmonstrãs queritur, quòd parua uolucris
Quum sit apis, faciat tam grandia uulnera. at illi
Subridens dea: cur apibus non æquus es, inquit,
Tu quoq; quum facias non uulnera parua pusillus?

IDEM ALITER.

Flaua tener quondam petiturus mella Cupido,
Ad loca parcarum cognita uenit apum.
Iamq; manus auidas redolentibus intulit antris,

Et tenero gratas ungue petebat opes.
Mellificæ inuadunt uolucres, & ſpicula figunt,
Membraq; non uno uulnere prima notant.
Ille dolens terram pede pulſat, & euolat alis,
Membraq; dum matri ſaucia monſtrat, ait:
Quum ſit apis animal tam corpore parua puſillo,
Qua ratione precor uulnera quanta facit?
Cui Venus arridens: apibus quid iniquus es, inquit,
Tu quoq; quum facias uulnera quanta puer?

IDEM.

Mella pharetratum furantem nuper Amorem
In digitis manuum parua momordit apis.
Ille dolet terramq; ferit pede: dumq; dolorem
Conqueritur matri quem pateretur, ait:
Quũ ſit apis tam paruũ animal, quibus artibus ũtẽs
Viribus exiguis uulnera tanta facit?
Cui Venus: haudquaquã mirabere, ſi tua ſpectes
Quæ puer exiguus uulnera tanta facis.

IDEM.

Spicula paſſus apum dum captat mella Cupido,
Dum queritur matri, quid patiatur, ait:
Vulnera quanta facit tam paruo corpore monſtrũ?
Cui dea: & ipſe puer uulnera quanta facis?

THEOCRITI EPITAphion Adonidis.

Eidyllion XXIII.

LAmentamur Adonin, obit formosus Adonis,
Pulcher Adonis obit, teneri allacrymãtur amores.
Iam nõ purpureis Ven⁹ ampli⁹ aurea pallis
Indormi, quin surge stola circundata nigra
O misera, & grauibus tua pectora plange lacertis,
Et dic omnibus, interijt formosus Adonis.
Flemus Adonin, Acidalij ploretis amores,
Saucius albo dente iacet formosus Adonis,
Dente femur percussus apri, Veneremq́; dolore
Afficit exspirans paulatim, cuius ab albo
Corpore destillat sanguis niger, ipsa sub altis
Bina superciliјs flaccescunt lumina, & oris
Purpurei rosa dulcis abit, simul oscula secum
Illa rapit moriens, quæ tempore non tamen ullo
Deseret alma Venus: siquidemq́; & lumine cassi
Oscula sumpta placent Veneri: sed nescit Adonis
Vltima quis dederit morientibus oscula labris.
Flemus Adonin, flentibus allacrymãtur amores.
Lugubre lugubre uulnus habet percussus Adonis
In femore, at multò grauius sub pectore Cypris

V ulnus habet: nam turba canum fidißima circum
A dsistens puerum lugent: hæc funera Nymphæ
L amentantur Oreades: ipsa soluta capillos
E t sine sandalijs, incinctaq; corpus honestum,
E t luctu confusa Venus, per saxa, per altos
F ertur iniquarum syluarum culmina montes.
C orpore quam nudo per deuia lustra uagantem
H irsutiq; rubi lacerant sentesq; molesti,
E t sacer exprimitur laniato è corpore sanguis.
I lla querens alta per ualles uoce profundas
F ertur, & Aßyrium clamat sine fine maritum,
E t puerum sibi dilectum, cui sanguine nigro
I am quoq; molliculi fœdantur tubera uentris,
P ectoraq; effuso contacta cruore rubescunt
D e femore, & niueæ quondam sub pectore mãmæ
P urpurea iam tabe rubent sanieq; cruenta.
Eheu heu Venerẽ teneri allacrymantur amores.
F ormosum illa uirum primis amisit in annis,
C umq; uiro formam diuinam perdidit: ipsi
N anq; decens Veneri donec superesset Adonis
F orma fuit, cum quo uitali munere functo,
F orma simul Veneris ceu uitæ munere functa est.
Heu heu ingeminãt lacrymoso murmure mõtes,
Arboreæq;

A rboreæq; trabes, & syluis insonat heu heu,
P lorant & fluuij Veneris graue uulnus Adonim,
A lba prius florum capita icta dolore rubescunt:
P er colles Venus ipsa omnes, per rura, per urbes
C onqueritur, carmenq; canit miserabile questu.
Eheu heu Venerem perijt formosus Adonis.
I psa echo resonat, perijt formosus Adonis.
Quis magnum Veneris non deplorauit amorem?
V t uidit durum, ut cognouit Adonidis ulcus,
V t femur aspexit rubicundo sanguine fœdum,
M olliculas proiecta manus: mane, inquit, Adoni,
V t loquar extremū, & cōplectar, & oscula sumā:
S urge parum mi dulcis Adoni, atque oscula sumæ
V ltima tuq; dato: sed quantū uiuida possunt (hæc,
O scula perdurare, anima dum prorsus ab ipsa
P er mea labra means, iecorisq; sub intima nostri
S piritus ille tui dulcissimus influit oris,
I psa ego dulce tuo mulgebo ex corpore philtrum,
E totoq; bibam mansurum pectore amorem:
S uauiolum tamen hoc in Adonin dulce reponam,
Quandoquidem tu me fugis, & me linquis Adoni,
E t longum fugis infelix Acheronta sub atrum,
C rudelemq; petis regem Plutona: sed ipsa

I n uita hac inuita moror, dea nempe, uelimq́;
P ræpetibus tua poſſe ſequi ueſtigia plantis.
Accipe nunc inferna meum Proſerpina Adonin,
M e ſiquidem es melior: te nanq; tuumq́; maritum
Omnia pulchra petũt, ad uos pulchra omnia tendũt,
E t nimis infelix ego ſum, quia triſtor, & ipſum
Quod doleo nulla ſanabile uulnus ab arte eſt.
E t ploro extinctum qui me oblectabat Adonin,
T eq; ſimul metuo: uerùm optatiſsime rerum
T u moreris, mihi dulcis amor ceu ſomnia uana
E ffugit, in uacuo iaceo uidua ipſa cubili,
C unctáq; iam uacui per tecta uagantur amores,
E t ſimul ipſe tibi mea maxima munera ceſtus
D eperijt: quid enim puer audaciſsime fortes
E xagitare feras quum formoſiſsimus eſſes
T am libuit? num tanta tuam ueſania mentem
C epit, ut u q; adeò uelles luctator haberi?
S ic eſt queſta Venus, ſic allacrymantur amores.
Eheu heu Venerem perijt formoſus Adonis.
T antum diua putres lacrymarum fundit in herbas,
Quantum Myrrhigeno de corpore ſanguinis exit.
Quæ ſimul ad terram pulchri labentia flores
F iunt, nanq; roſam ſanguis parit ipſe rubentem,

De lacryma

De lacryma Veneris procera papauera surgunt.
Lamentamur Adonin, obit formosus Adonis.
Desere iam syluas, iam desine flere maritum
Diua tuum, iam lectus habet bene stratus Adonin,
Illum lectus habet Cypri iam tuus, ille peremptus
Est etiam formosus adhuc ceu dormiat ille:
Mortuus est formosus Adonis, age accipe, & illum
Mollibus impositum facito requiescere stratis:
Qualibus ille cubans tecum tot noctibus olim
Carpebat dulces somnos, quum lectulus aurum
Totus erat qui uos capiebat: nunc tamen ipsum
Tristis adhuc tristem suspira mater Adonin
Alma Venus: iam pone suis in floribus ipsum,
Cumq; ipso omnia florigeris impone coronis:
Nanq; ipso moriente uigorq; & gratia florum
Marcuit, & posita defloruit omnis in herba,
Nunc asperge oleo, preciosis unge uenenis.
Ah pereant nunc unguēta omnia, quādo unguentū
Dulcis Adoni tuum perijt: nunc ipse recumbit
Vestibus infectis ostro formosus Adonis,
Circunstant teneri, & multū lacrymātur amores,
Flauicomos pulchro detonsi à uertice crines,
Ille manu teretes tractat mœrente sagittas,

Hic arcum tenet, exermem trahit ille pharetram,
Alter parua pedum tibi uincula ſoluit Adoni,
Alter aquam properat fudiſſe lebetibus aureis,
Ille femur lauat, hic à tergo concutit alas,
Vt iuuenem releuet motaq; refrigeret aura,
Ipſi omnes lugent Veneris graue uulnus amores.
Lampadas extinxit cunctas Hymenæus in ipſo
Limine, & excuſsit genialem à fronte coronam.
Dulce melos quondã non amplius inſonat Hymen,
Amplius haud Hymen canitur, placet hoc magis, heu, heu,
Eheu heu et Adonin, & amplius heu Hymenæũ.
Lugent & niueæ Charites Cynarëide natum:
Interijt formoſus Adonis, id alternantes
Alta uoce canunt, & te Venus alma querendo
Exuperant: lugent etiam fatalia Parcæ
Numina Adonidis, & cantu lacrymãtur Adonin,
Quas, & ſi cupiat, ſtygia non audit ab umbra:
Nanq; ipſum duro cohibet Proſerpina uinclo.
Deſine mœſta Venus, nimios iam deſine luctus,
Pone modum lacrymis hodie: nam flere neceſſe eſt
Sæpius atq; alium lacrymabere rurſus in annum.

Eidyllion XXIIII.

EVnice tumido derisit me improba fastu,
Oscula formosæ quum dulcia ferre pararem
Nuper, & à sese repulit conuicia iactans:
Vade malũ procul hinc, nec me per inepta proterue
Oscula contigeris: neq; enim syluestria promptis
Oscula, sed didici ciuilia stringere labris.
Os mihi non poteris tu tam tetigisse uenustum,
Ne per uisa quidem tacitæ nocturna quietis:
Quales nanq; oculi? qualis tibi forma? quis autem
Iste ferox lusus? quàm mollia uerba profaris?
Quàm tenerã barbam? quàm molles fronte capillos
Demittis? sed enim morbo tibi labra laborant,
Ipse color manuum niger est tibi, spiritus ater
Sordet, & os fœdum putens exhalat odorem.
I procul attactu ne me fœdaueris ullo.
Hæc effata, sinum ter conspuit ore sequaci
Ipsa suum, meq; attentè lustrauit ab ipso
Vertice ad usq; pedes, & totum lumine corpus
Ore loquens, oculis obliquis torua tuetur,
Mollior & forma fit luxuriante, superbo
Me ridens uultu: mihi circum pectora bilis

Feruescit, trahit accitum cutis atra ruborem,
Et simul auersa est, & me digressa reliquit.
Ipse iram tacito magnam sub corde premebam,
Quòd me sic pulchrum forma, sic ore uenustum
Pessima derisit meretrix, & inutile scortum.
Dicite pastores uerum mihi, sum'ne ego forma
Præditus, an'ne aliquis diuûm mea corpora mutat?
Et certè decus hoc nuper mihi floruit æui:
Sicut pulchra hederæ frondentes brachia ramos
Conscendunt, sic barba sua lanugine nostra
Vernabat, similis uiridi percompta selino,
Tempora crinis erat, frons splenduit addita nigris
Alta supercilijs, oculorum gratia talis,
Qualis cum glauca possit certare Minerua,
Dulcius os quocunq; cibo, quod ab ore fluebat
Vocis opus, mel atq; fauos dixisse licebat,
Fistula siue mihi, siue ædit tibia cantus,
Seu resonum tenui modulor sub arundine carmen,
Siue horum quodcunq; cano, siue omnibus istis
Dulcia uerba loquor, dulcissima carmina canto,
Et me formosum dicunt in montibus omnes
Quæ modo cunq; habitant Nymphæ, quæcūq; puellæ
Et me suspiciūt, & amāt: hæc ciuica tantū

Non

Nŏ amat, & quia sum pastor, qd' et exprobrat ipsa:
Non audit quæcunq; loquor, neq; curat amantem.
Per tamen ipse cauas ualles Dionysus oberrans
Cum grege lasciuos sequitur pascente iuuencos,
Scilicet ignoret uolucrum quòd mater amorum
Aegra aliquando Venus pastoris amore fuisset
Irriguis Phrygiæ pascens in uallibus Idæ,
Ipsa quoq; in syluis formosum seruat Adonim,
Extinctum in syluis eadem deplorat Adonim.
Quis fuit Endymion? nunquid non pastor & ipse?
Candida pastorem tamen hunc dea noctis amauit,
Syderei ueniens alto de uertice olympi
Latmia saxa petit, pastorem amplexa iacentem est.
Et tu pastorem ploras Rhea tristis amatum.
Tu quoq; num puerum pascentem Iuppiter ardes,
Atq; illum propter latis in uallibus erras?
Non amat Eunice pastorem sola proterua,
Quæ Venere est melior Lunáq; altáq; Cybele.
Amplius ergo tuum pastorem candida Cypri
Iam nec amare uelis, munitas siue per urbes,
Siue per umbrosas montes: quin ipsa per omnes
In uacuo iaceas noctes & sola cubili.

Eidyllion XXV.

Sola nouas homini paupertas excitat artes,
Sola docet uarios eadem Diophante labores:
Nanq; nec assuetis operum dormire molestæ
Permittunt curæ: quòd si qua breuissima somni
Tempora contigerint alicui, mox deniq; fessa
Pectora turbantur surgentibus anxia curis.
Forte senes duo squamosos ex æquore pisces
Venantes, siccam sternebant littoris algam,
Intexta folijs casula de more iacentes,
Quos prope depositi manuum iacuere labores,
Flexibiles calathi, calamiq; hamiq; tenaces,
Funiculi in spiras contorti, & retia spumis
Humida, fallaces è uiminibus labyrinthi,
Et laquei teretes, & uellera, deinde uetustum
Nauigium uinclis hærens, uestesq; sub ipsis
Fulturis capitum constratæ, pileoliq;,
Exiguoq; breues textæ de uimine sportæ.
Hic labor omnis, opes hæ piscatoribus omnes.
Non illis breuis olla fuit, non una profectò
Tota ea difficili de paupertate coacta
Præda uidebatur: nec enim quisquã accola iuxtà,

Nec uicinus erat, caſulæ prope limen, in ipſo
Aequore paupertas ceu deliciata natabat.
Nondum nox medio uoluebat ſydera lapſu,
Quum labor oſtriferum rediјt ſcrutantibus æquor,
Et nocturna uiris patefecit lumina ſomnus,
Illi hoc humentes cecinerunt carmen in auras.
Falluntur quicunq; putant breuiora quietis
Tempora nocturnæ quum torrida uoluitur æſtas
Ulla dari, longos quum Iuppiter ipſe dierum
Adfert circuitus: iam ſomnia tempore noctis
Vidimus infinita, nec eſt dum ſydus obortum
Auroræ: ſed me num forſitan orta fefellit?
Inſolitæ quæ cauſa rei eſt? quæ tempora noctis
Iſta ſoporiferæ tam nobis longa fuerunt?
Falſò formoſi reprehendis tempora ueris:
Nam neq; ſponte ſuos feſtinant tempora curſus,
Cura ſed, optati quæ diſtrahit ocia ſomni,
Sæpe breues noctes longas facit eſſe uideri:
Verùm age num tales doctus quandoq; per artes
Somnia coniectas? etenim pulcherrima uidi,
Nec patiar te uiſa meæ neſcire quietis:
Ac ueluti prædam, ſic diuidere omnia tecum
Iſta uelim, quæ grata deus mihi ſomnia miſit.

H aud etenim uirtute animi deuinceris ulla.
O ptimus ille quidem est qui somnia iudicet, idem
Qui didicit, potuitq; alios simul ipse docere,
I ngenioq; & mente ualet: sed & ocia nobis
C ōmoda nunc adsunt, quæ frustra insumere nolis.
N am quid agat recubans aliquis somnūq; capessens
I n folijs teneras constrata fronde per herbas,
P ropter aquas rapidi qua pulsant littora fluctus,
N ec facilè admittens inter loca senta soporem,
H orridus enectas qua carduus opprimit herbas?
L ucet & in Prytanæo clara lucerna, quod aiunt,
S emper habere aliquid dulcis consuessæ rapinæ.
E rgo age dic tandem turbatæ insomnia noctis,
O mnia nempe tuo monstra hæc recitabis amico.
Tempus erat prono stabat iam uesper olympo,
P er mare desumpti quum corpora fessa laboris
D eposui, & uacuos requies obrepsit in artus.
T um neq; corpus eram distentus mole ciborum,
P ostquam spirantes uacui ieiunia uentris
P ertulimus, multam Phœbeæ lucis in horam,
V t poteras meminisse, sedens mihi forte uidebar
P ræerupto in scopulo toto conamine pisces
O bseruare uagos, calamis fallacibus escam

Concutiens: ibi tum de piscibus unus opimus
Appetit hamato circumsita pabula ferro.
(Omnis ut optatos sopita canicula panes
Somniat, ipse uagos mea uota & gaudia pisces)
Ille quidem præstãs hamo et prægrandis adhæsit,
Et niger attracto sanguis de pisce fluebat,
Et calamum præda curuum quatiente tenebam.
Capturam uerò manibus dum prendere tento
Res fuit ingentis certaminis ista profectò,
Quo tantum tenuisse queam conamine piscem,
Vulneris in mentem uenit mihi: scilicet, inquam,
Vulnere nunc uires ad me tardante natabis.
Ac simul extendi, nec enim fugiebat, utrasq;,
In piscem aureolum & subtus mea lina retraxi.
Aurum totus erat, toto contectus ab auro.
At mihi sollicitum subita formidine pectus
Diriguit, ne fortè sacer foret Ennosigæo,
Et multùm dilectus ita aureus undiq; piscis,
Thesaurus uel cœruleæ suus Amphitrites.
Paulatim ergo ipsum solui retinacibus hamis,
Ne quod ab hamatis teneatur retibus aurum
Amplius, atq; illum subeunte rudentibus auro
In siccum traxi littus: tum friuola demum

S acramenta dedi iurans, quia ſcilicet eſſem
H aud ultra placido facturus in æquore curſum,
S ed magis in terra ſemper manſurus, & auro
R egnaturus. at hæc monſtroſæ ſomnia noctis
E xcuſſere mihi, ſed in hæc tu cuncta ſagacem
I ntendas animum, ſimul ordine noueris hoſpes,
I us quia iurandum metuo, nec lædere fas eſt.
Non eſt quòd metuas quæ non iuraueris ipſe:
N on etiam aureolum piſcem conſpexeris uſquam,
N ec ſis uenatus per cœrula luſtra profundi:
S omnia nam uanis ſunt iſta ſimillima nugis.
Quòd loca ſi uigilans excuſſeris iſta, fouebis
S pem ſomni de piſce magis qui carneus adſit,
N e tibi dum fallax deus aurea ſomnia mittat,
E moriare fame falſo deluſus ab auro.

THEOCRITI MEGARA, uxor Herculis.

EIDYLLION XXVI.

QVid curis adeò te nunc mea mater acerbis
Affligis? magnoq; animum mœrore dolentẽ
C onficis? & tua non ullus iam tempore longo
I nficit ora rubor, ſed uultu marcida palles.
N empe malis premitur clariſſimus ille tuorum

Filius

F ilius, & requiem non inuenit ærumnarum
R ege sub ignauo, tanquam si forte leonis
S eruiat imbelli generosa ferocia ceruo.
H eu cur me tantis cœlestia numina diuûm
A ffecere malis? cur me genuere parentes
I n tam uiuacem crudelia fata futuram?
O ego non felix, quando non illa merentis
I nuenere uiri thalamum mala, cuius honorem
T am colui, quanti charissima lumina feci.
Q uem quoq; nunc animo ueneror'q; colo'q; fideli,
Q uo neq; uiuentum quisquam contemptior unquã
E xtiterit, neq; qui tantos perferre labores,
A ut poterit tales inuicto pectore curas.
I nfelix qui, quas uel ei dedit autor Apollo,
V el mala Parcarum uel Erinnyos impia turba,
O ccidit grauibus sua pignora chara sagittis:
P erditus atq; furens animo per tota uagatus
L imina, cæde replens, et cæsis omnia natis,
Q uos oculis uidi ipsa meis à patre peremptos
I nfelix, nam quisquam alius non talia uidit,
N e per uisa quidem tacitæ nocturna quietis:
N ec tamen auxilio me sæpe uocantibus ipsis
M ater eram, nec erant uires mihi tale potentes.

Nanq; aderat fatale malum, uinciq́; negatum.
Paruula ceu uerò uolucris triſtatur, ubi illi
Implumes pereunt pulli, quos improbus anguis
Vepribus in denſis rapiens uorat ore cruento:
Quos ſupra querulum ſtridens uolat anxia mater,
Nec tamen auxilij quicquam pereuntibus affert,
Nam pauet, & ſæuum propius timet ire draconem:
Sic ego quæ pariens ſum facta miſerrima mater,
Dilectos lugens quondam mea pignora natos,
Per mea non ſano currens pede tecta uagabar.
Atq; utinam triſti confixa ſub hepate dirum
Ipſa experta forem telum, natisq́; peremptis
Mortua ſim ſimul ex illo confecta ueneno.
Cynthia fœmineis numen uenerabile turbis,
Sic poterant chari tibi nos fleuiſſe parentes,
Plurimaq́; in manibus funebria dona ferentes,
Impoſuiſſe pyris æqualibus, oſſaq́; eodem
Mandaſſent tumulo, quacunq; in parte ſepultis.
Nunc pueris fœcunda colunt hi mœnia Thebas,
Poſſeſſa Aonij pererrantes pinguia campi,
Verùm ego Tirynthο ſterili Iunonis in urbe
Pluribus infelix cor facta laboribus angor.
Nec uariat fortuna modum mihi ſæua malorum,

Ne-

Nec lacrymis requies nunquã cessantibus ulla est,
Quóq; uirum uideam uix temporis hora pusilli est:
Aedibus in nostris etenim numerosa laborum
Ocia uertentes, terráq; maríq; superbis
Viribus affligit saxo uehementior omni,
Durior & ferro pectúsq; animúmq; ferocem.
Ac tu non aliter quàm si de flumine pleno
Stillet aquæ riuus, noctésq; diésq; profusis
Fletibus indulges: sed enim nec qui mea præsens
Vulnera soletur quisquam est affinis amicus.
Non etenim mecum nunc tecta domestica seruant.
Verùm omnes nemorosa ultra prædiuitis Isthmi
Regna colunt, nec adest quisquã mihi cui mea curæ
Sint mala, qui placida soletur uoce relictam.
Sola ego cunctarum sum facta miserrima matrum.
Sed quæ sola meos potuit lenire dolores,
Et quadam tenus est animo leuis aura iacenti
Pyrrha soror, sed & ipsa sui nunc ægra mariti
Flet super Iphiclo nato tibi & hoc quoq;, nam te
Mortalíq; deóq; uiris peperisse putarim,
Natos per totum miseros magis omnibus orbem.
Hactenus illa quidem querulo sermone ꝓfata est,
Et simul undanti demisit lumine guttas,

Plus pomis uiridi lectis de fronde recentes,
Dum memor infelix natorum est atq; parentum.
Haud aliter lacrymis humectans ora genasq́;,
Constitit Alcmene, & suspiria tristia ducens,
Sic affata nurum uerbis prudentibus infit.
O nimis infelix aduerso filia fato,
Quid uenit in mentem res hæc tibi? tristibus ambas
Quid'ue mones lacrymis, miseros dū mente labores
Enumeras memori, quos iam defleuimus olim?
Num satis hæc tolerasse fuit, si sola fuissent?
Nunc mala continuò crescunt, nunc nulla dierum
Non aliquid nostris lugubre doloribus addit,
Et luctus uehementer amans queat ille uideri,
Qui nostri studeat titulos numerare doloris.
Fide animo, non hæc sumus ex Ioue fata supremo
Sortitæ: sed enim te fine carente laborum
Inuolui cumulo uideo mea filia: uerùm
Ipsa tuo possum facilè ignouisse dolori,
Quum nulla inuitent satiatam gaudia mentem
Amplius: & nunc te suprà quàm credere poßis
Lugeo, & ex animo miseror, quia te quoq; nostri
Participem fieri uoluit sors improba fati.
Et quæ triste grauant nostrum caput ærumnarum

N umina Persephones Acherusia testor, & ipsam
S piciferis Cererem redimitam tempora sertis,
(Quas prudens aliquis nostris ex hostibus optem
P eieret, ut magno luat hæc periuria damno)
N on minus esse mihi charam, nec peius amari
Quàm si te proprio peperissem sanguine, quàm si
S ola domi superes, atq; unica filia nostræ.
Quod te non dubiè meminisse fatebere: quare
N e te deliciæ nostræ, dulcisq; uoluptas,
H ac mihi neglectam tam dura sorte queraris,
N on si uel grauiora fleam, uel largius atris
P ulchricomæ Niobes lacrymis, nec plurima lugēs
I n mala deiectum genitrix, ut nos quoq; natum
E x ulla penitus reprehendi parte meretur.
I psa quidem longos menses bis quinq; peregi,
G rande laboranti pondus sub pectore gestans,
I psum qui Stygij me penè subire coëgit
P ræualidas portas, & ferrea limina Ditis,
T alia tamq; grauis tolerantem incommoda partus:
N unc tamen externo mihi perditus ille sub orbe,
F orsitan ad sæui pergens certamina Martis
I n noua bella ruit, nec adhuc rationibus ullis
A uguror infelix num sit rediturus, & ipsum

E xceptura ego ſim, uel an hoc quoq; fata negarint
N unc quoq; me terrent quæ triſtia ſomnia uidi,
N uper quum placidæ demiſi membra quieti,
Q uàm metuo ne triſte aliquid portendere nobis
V iſa horrenda uelint: mihi enim ſub nocte ſilenti
A dſtitit attritum retinens utraq; ligonem,
H erculis inuicti uirtus illa inclyta, tanquam
A gricola, aut magno conductus munere foſſor
I ngentem uiridi foſſam facturus in agro,
N udus & inueſtis, nec amictus, ut antè, uirili
C orpus erat tunica, neq; craſſæ tegmine lenæ.
P oſtquam ceu ualido cui cincta eſt uinea uallo
I mpoſito totum confecit fine laborem,
F errato innitens excelſo pectore telo
I am ſumpturus erat, quos antè ſolebat, amictus,
Q uum ſubitò emicuit rapidæ uis ignea flammæ
P ro magnæ tumulo cæcaq́; uoragine foſſæ,
I amq́; furens immenſus & inſedabilis ignis,
A nte ipſum iuxtaq́; & in ipſius ora ruebat.
I lle quidem pedibus ſemper uelocibus uſus
D irum Vulcani prompta uirtute furorem
V itabat, cedensq́; retro, ſua membra ligone
N on ſecus ac ſcuto defenſans: deniq; circum

Omnia

O mnia luſtrabat, huc illuc lumina uerſans,
I mpia pugnantem ne flamma prehenderet ipſum.
C ui dum ſubſideo, niſi uana inſomnia uidi,
M agnanimus uenit Iphiclus procumbere terræ
V iſus erat labens, nec poſſe reſurgere rectus,
S ed miſer immotus iacuit ceu debilis æuo
D ecreſcente ſenex, quem uiribus inuida magnis
I nuitum populatur & opprimit ægra ſenectus.
S tratus humi iaceat, donec quis prætereuntum
S ubleuet exhibeatq́; manum, ſic ipſe iacebat
S cutifer Iphiclus, latera ægre ignauia uerſans.
I pſa uidens natos caſſos ope: deniq; flebam,
D onec noſtra leuis diſſoluit lumina ſomnus,
E t rubicunda diem ueniens aurora reduxit.
T alia per tacitæ quæ uidi inſomnia noctis
E xcubias: quæ cuncta, precor, uertantur in ipſum
E uryſtheum genere à noſtro: ſed fiet & illi.
M aximus hic uates animus meus, omnia diui
S ic, & non alia ducant ratione fauentes.

THEOCRITI DIOSCVRI
Encomiasticon.
EIDYLLION XXVII.

CAntemus pueros Ledæ, & Iouis ægide clari,
Castora, Pollucemq́; manu clauaq́; timendũ,
Taurinis media insertantem brachia loris.
Cantemus bis terq́; uiros, quos mascula uirtus
Extulit, è clara genitos Lacedæmone fratres,
Pignora Thestiados cunctis ueneranda puellæ,
Humano generi qui certam ferre salutem
Sæpe solent, quum iam res est in acumine ferri.
Quorum nominibus turmæ seruantur equestres
Crudo sanguinei perituræ fulmine Martis
Sæpius, & rapido iactatæ ex æquore naues,
Quàndo uel occiduis uel iam surgentibus astris
Incubuere graues uento quassante procellæ,
Euertuntq́; mare, & magno cum turbine fluctus
In puppim proram'ue ruunt, uel deniq; nauis
In quamcunq; furens partem tulit impetus illas:
Iamq́; adeò rumpunt miseræ tabulata carinæ,
Vtroq; à latere antennis iam carbasa ruptis
Armaq́; confractis malè pendent nautica mâlis:
Obduxit nox atra polum, iam grandine nimbi

Præcipitant,

P ræcipitant, densisq; strepit niger imbribus aër,
P langit & horrisonis mare flatibus omne remugit,
O mnia sternit hyems, & inexuperabilis æstus.
V os tamen è medio demersæ sæpe profundo,
N aufraga membra ratis tranquillæ redditis auræ,
P enè metu mortis torpentibus undiq; nautis.
T unc sæui fugiunt pacata per æquora uenti,
R arescunt nebulæ, pontum lux missa serenat,
E t iam Parrhasides depulsis nubibus ursæ
A pparent, asinosq; inter præsepe refulget
O bscurum, factumq; notat mare nauibus aptum.
O properè qui fertis opem mortalibus ambo,
O equites gemini, cantores, & citharœdi,
P ollentesq; feri certamine Martis athletæ,
A quo principium sumam? quem carmine primum,
C astora Pollucem'ne canam? sed utrunq; canētes
P ollucem in nostro dicemus carmine primum.
Quum Pagasea ratis patria soluisset ab ora,
D ijs genitos clarosq; ferens heroas, acutis
C otibus horrentes Symplegadas euasisset,
O stiaq; exisset cani niue deuia ponti,
V enit ad intonsos B. brycas: tum deniq; fessi
H eroës posito tabulata per utraq; ponte

N auis Iasoniæ, multi per littus apertum
E grediebantur, siccoq́; in margine lectos
S ternebant, manibusq́; focos ignemq́; parabant.
H ic sobole insignis uariorum Castor equorum,
E t Pollux subfuscus aberrauére relictis
A socijs, loca per deserta & deuia lustra
O bsita condensæ peragrantes omnia syluæ,
R upe sub horrisona petram reperere fluentem
F onte perennis aquæ, nec fœdæ sordibus ullis.
Quem prope erant alij, quorum crystallina uenis
A rgento similis turgentibus unda fluebat.
S tabant & piceæ nutantes uertice pinus,
E t platani latis facientes frondibus umbram,
E t circum Herculeæ uarijs sacrata coronæ
P opulus alba comis, & coniferæ Cyparissi.
H inc qui gratus apū labor est, noua mella legentes
S pirabant uario fragrantes germine flores,
Quales uere suo uiridem tot millia campum
D istinguunt, pinguntq́; noui noua prata colores.
H æc loca uir multa præstans uirtute colebat
A rmorum uisu horrendus, contendere doctus
C estibus, & duris confractus tempora pugnis.
H uic pectus fuit excelso thorace rotundum,

Duri

Durus robusti latissima tergora dorsi:
Corpore firmus erat ceu ferreus: ultima uero
Magnos circa humeros extabant brachia, duris
Fulta toris, uelut è saxis fabrefacta rotundis.
Qualia sæpe rapax rotat aucto uortice torrens:
Videris, ingentem possis dixisse colossum.
Hirta tegens spolium truculenti terga leonis,
A summa ceruice pedes pendebat ad imos.
Hunc prior est Pollux uerbis affatus amicis. (quã
Salue hospes, qs? & unde genus? quæ sunt loca? POL.
Hîc habitant homines? quales? quæ nomina genti?
Quid saluere iubes? quæ sit mihi causa salutis, AM.
Quando uiros uideo quales non uidimus antè?
Sed confide, nec iniustos te crede uidere, POL.
Quosq; nec iniusti tales genuere parentes.
Confido, nec habet quisquã mea pectora terror. AM.
Sed me uoce tua nec oportuit ista moueri.
Moribus & sæuis, & agrestibus esse uideris, POL.
Et qui difficili contemnas omnia fastu.
Quales esse uides, tales sumus: at tua nunquam AM.
Vidimus, aut cupido pede regna subiuimus hospes.
Si uenias tamen eximijs cumulabere donis, POL.
Et dextro hospitij susceptus iure redibis.

AM. Sed neq; muneribus tu me susceperis ullis,
Et neq; res credas nostras tibi posse parari.
POL. Percite uesanam furioso numine mentem,
Num'ne precor sterilē bibere hanc pmiseris undā?
AM. Hoc nouisse potes tunc quum cruciabere siccus,
Et tua labra siti pendebunt arida multa.
POL. Dic precor argentó ne uelis aliá ue pacisci,
Qua posim meruisse tuum mercede fauorem?
AM. Fige pedes, intende oculos, celer unus in unum
Tolle manus, aduersa uiro uestigia firmans,
Pugil ut es, uestræ'ne forte peperceris arti.
POL. Ergo quis est cui me iubeas concurrere cæstu?
AM. Me'ne uides? hic pugil erit tibi proximus ipsi.
POL. Num'ne parata locas uenturæ præmia pugnæ?
AM. Tu meus, ipse tuus, si uicero, habebere uictus.
POL. Cristatarum auium sunt ista similima pugnæ.
AM. Siue auium similes igitur, seu fortè leonum,
Haud alia extiterint nostræ nunc præmia pugnæ.
Dixerat, & concham capiens immugit, anhelo
Ore fremens Amycus: sonitu testudinis autem
Bebryces audito promisso crine comantes
Subtus inumbrantes platanos coiere uocati.
Ipse quoq; armorum præstans uirtutibus, omnes
Conuoca

C onuocat heroas Castor Magnesidos Argûs.
Qui postquam rigidis firmati pellibus artus
A rmauere manus, & longis fortia loris
M embra tegebantur, tum duræ cædis auaros
I n medium duxere uiros: ibi plurimus ipsis
E xortus labor est, uter obuia lumina solis,
A ut uter à tergo acciperet: sed tu inclyte Pollux
T ales ingentem uicisti heroa per artes.
S olis enim radijs Amyci frons tota patebat,
E t feriebantur Phœbæa lumina flamma.
E rgo furens animo aduersum tendebat in hostem
P rotensis longè manibus, plagasq; uirumq;
A criter obseruans, cui summi robora menti
O ssea Tyndarides illato contudit ictu,
Quamq; prius tum collecta commotior ira
Aestuat, & cæstum quatiens uehementius urget
A duersum, iam iamq; magis premit: ille trementi
M embra genu nixus, uasto stat pondere nutans.
Quo uisu horribili fremitu magnoq; tumultu
B ebryces inclamant: alia de parte fauentes
M agnanimi heroës uires clamoribus addunt
F orti Tyndaridæ: ne forsan in arcta coactum
P ræualidis loca uiribus opprimat ille uir, ipsi

T errigenæ ſimilis Tityo: ſed & ipſe reſiſtens
F ortiter ambabus terrens cohibebat ab acri
I mpete, pennigero natus Ioue, fratre creatum
I pſius æquoreo, quamuis immanior eſſet.
Qui quum iam grauibus plagis uelut ebrius, atri
S anguinis euomeret uenis manantibus undam,
R urſus ibi ut uidere oculos ſub fronte tumentes,
M axillasq́; graui fœdatas ulcere, & oris
V ulnera contuſi, magno clamore ſequuntur
V incentem chorus heroum: tunc undiq; Pollux
I ntentans, plagasq́; minans agitabat inanes,
E luſitq́; uirum, donec iam corpore feſſum
S enſit, & hic demum cæſtu ferit inter utrunq;
L umen, ubi mediæ coëunt diſcrimina naris,
E t cute detracta nudauit ad intima frontem
O ſſa uiri: iam ſtratus humi, terramq́; ſupinus
C ontigit, & uirides extenditur ille per herbas.
N ec mora cõſurgens poſtquam ſe in crura leuauit,
A crior incumbens pugnæ uis mutua miſcet
V ulnera, ſic duris feriebant corpora loris.
I pſe ſed incuſſo Bebrycum dux pectora cæſtu
N eglecta ceruice ferit, ſed tempora plagis
V traq; bellipotens Pollux immitibus urget

Aduer

A duersi, & totos defœdat sanguine uultus.
I amq́; fluens toto calidus de corpore sudor
M anabat, iamq́; ex magno & de corpore tanto
E xiguus fuit, & tantis uir inutilis armis.
I pse animo præstans, & uiribus alta ferebat
P ectora Tyndarides, & membra ualentia Pollux,
E t color huic melior fulgebat corpore toto.
Qua ratione uirum deuicerit omniuoracem,
N unc age Musa refer, nam tu dea singula nosti.
I pse alijs ex te possum percepta referre,
Quæq́; placent tibi, quæq́; tibi memoranda uidētur
E loquor: ipse igitur magnum & memorabile factū
Aedere percupiens Amycus, læuáq; prehensam
L æuam Pollucis tenuit, sed corporis artus
I ngentes latere à dextro ferus extulit, & se
O bliquum obijciens ualidos surgebat in ictus.
A t Pollux caput elabens subtraxit, & inter
L uctandum cæstus in læuum tempus adegit,
A fflixitq́; graui percussum uulnere, donec
C ontuso niger efflueret de corpore sanguis.
V erbera dehinc repetita Amyci clamantis in ora
I ngeßit, malis dentes sonuere reuulsi.
N ec modus oppressæ faciei infligere plagas,

Donec luxatæ fracta compagine malæ
Conciderant: iam quantus erat, quantusq; supino
Corpore planxit humum penè exanimatus, utrasq;
Extendens cum uoce manus renuente, laborem
Amplius, & subitò uictum certamine fassa.
Nam prope erat duræ confinia pallida mortis,
Nec tamen indignũ quicquam, nec labe notandum
(Quamuis uictor) in hũc patrasti maxime Pollux.
Ipse sed æquorei per cœrula regna parentis
Iurauit, sacro Neptunia numina uoto
Testatus, sese hospitibus non amplius ullis
Iniustum fore, non ullis in rebus iniquum.
Hactenus hæc igitur de te rex inclyte Pollux,
Deq; tuis cecini laudes uirtutibus istas.
Nunc te magne canam simul & tua prælia Castor
Tyndarida, qui flectis equos, qui dirigis hastam
Quólibet, ærato pectus thorace coruscans.
Tyndaridæ gemini geminas rapuere puellas,
Leucippo genitas geniti Ioue, quos duo cursu
Ponè sequebantur fratres Aphareïa proles.
Leucippus quibus has desponderat ante puellas,
Acre tuens Lynceus, & bello fortior Idas,
Qui postquam ad tumulum uitali lumine cassi
Concu

Concurrere Apharei, rapidis de curribus ambo
Desiliunt, clypeisq́; cauis, & grandibus hastis
Membra graues, acuunt in mutua prælia uires.
Hîc nitida Castor galea cana tempora tectus
Alloquitur fratres magno clamore coæuos:
Quis furor ô uesani, animis & pectore cæci,
Impia crudeles armare in prælia dextras?
Cur aliena nouo petitis connubia raptu?
Cur tam difficiles? cur tam sine moribus estis
Humanis? cur infertis fera bella? quid enses
In manibus nudi? nobis Leucippus habendas
Tradidit ipse suas æterna in fœdera natas,
Quas nuptas nobis prius omnibus esse futuras,
Iure ratum fecit iurando: turpiter ipsi
Et præter ius fasq́; alieni fœdera lecti
Turbantes mulisq́; uirum bubusq́; paratis,
Atq; alijs rebus malè corrupistis amicum,
Atq; hæc furati connubia friuola habetis
Muneribus: quoties uerò hæc præsentibus ipsis
Ipse egomet dixi uobis, non uana & inepta
Garrulitate loquax? non hoc heroës amici
Vos decet, ista uiris non sunt accōmoda magnis
Munera, despondere sibi, & ui ducere nuptas.

Quæ ſponſos habeant ſibi iam cum dote paratos,
E t Sparte populoſa, & equis memorabilis Elis,
E t præſtans ouibus regio plena Arcados oræ
M eſſeneq; potens, & Acheia diues, & Argi,
E t quæ Siſyphiæ ſunt littora iuncta Corintho:
I nnumerabilibus ſunt hæc loca plena puellis,
N ec naturæ opibus, nec nobilitatis egenis,
N ec uirtute animi: quarum ſit copia uobis
D ucere quas libeat, uobis quo nomine plures
E ſſe uelint ſoceri, uos & ueſtriq; parentes,
E t patrius longo proauorum ex ordine ſanguis,
Aequatis meritis heroas laudibus omnes
P ræcipuo decore inſignes: nunc illud amici
D eſinite, & noſtris precibus permittite iuſtum
C oniugium, uobis aliud nos inueniemus.
T alia multa quidem uobis, & plura loquebar,
I n mare ſed celeres rapuerunt omnia uenti,
N ullaq; inutilibus parta eſt mihi gratia uerbis.
V obis nanq; ferum eſt & inexorabile pectus.
S ed uel adhuc monitis parete ſalubribus ambo,
P ræcipuè nobis patruales ſanguine iuncti.
Quòd ſi fortè magis bellum lacrymabile cordi eſt,
E t diſcernentes odium crudele neceſſe eſt

Tinger

T ingere manantes defluxu ſanguinis haſtas,
F raterno Pollux iunctus mihi ſanguine, & Idas
I nnocuas belli dextras à clade tenebunt.
N os duo, tu Lynceus, ego Caſtor, nempe minores
Qui natu ſumus, aſſumptis pugnabimus armis,
N e nimio doleant noſtri mœrore parentes:
E x una ſatis eſſe domo ſi concidat unus
Quis dubitet? reliqui ſocijs iucunda parabunt
G audia, proq́; neci miſsis optata tenebunt
C onnubia, & dulces celebrabũt inde Hymenæos.
N os decet exiguo magnum diſcrimine bellum
E ffugere. his dictis tacuit: quæ dixerat autem
N on paſſurus erat deus irrita dicta futura.
I lli igitur natu maiores arma reponunt
E x humeris in humum iacientes, inde minores
P roſiliunt: primùm proles Aphareia Lynceus,
O blongum quatiens clypei ſub tegmine telum.
N ec minus ingentem generoſis uiribus haſtam
I mpiger arripuit Caſtor: tum uertice ſummo
A mbobus capitum criſtæ micuere comantes.
P rincipiò utentes haſtis grauioribus omni
A rte laborabant, obſeruabantq́; notantes,
S i qua parte cutem poſſent contingere nudam.

S ed prius inflicto quàm quiſquam uulnere læſus
I ngemeret, ſummo extremi ſub acumine ferri
C onfractæ cecidere haſtæ, duriſq́; refixæ
I n clypeis hæſere: truces tum protinus enſes
V aginis rapuere, iterum per mutua cædem
V ulnera tentantes: pugnæ mora nulla petitæ
F iebat, ſed adeſt ſæui iam libera Martis
C opia: ſæpe ferox Apharidæ afflixit equina
T yndarides galeam criſta à ceruice comantem,
C ontudit & multo ſpacioſum uerbere ſcutum.
M ulta quoq; & Lynceus oculis inſignis acutis
C ominus enſe petens in Caſtora torſit, & illi
P erſtrinxit rigido conum mucrone rubentem.
I llius afflixit ſummam tum deniq; palmam
C aſtor, & è manibus gladium portantis acutum
E xcuſſit, læuumq́; pedem ſubduxit: at ille
P rotinus elabiq́; fuga atq; euadere tentat
A d patris alta ſui monumenta, ubi belliger Idas
A dſiſtens conſanguineis ſpectabat in armis
I nter ſe certare uiros: ſed protinus illum
A dſequitur, ferroq́; ruens transfigit acuto
P er medium latus, & medij per lubrica uentris
V iſcera: at ille cadens nutanti poplite terram

Contigit,

C ontigit, atq; ipsi circum cana tempora somnus
F erreus incubuit, lethæam lumina noctem
C lausa trahunt: sed & haud alium fuit amplius illũ
A d patrios uisura focos dulcesq; penates
L aocoossa parens Hymænëia sacra parantem.
N am patris è tumulo extantem Messenius Idas
C orripiens statuam fuit emissurus in hostem
A utorem necis, atq; ulturus funera Lyncei.
S ed tulit auxilium correpto Iuppiter illi
M armore decusso è manibus: tum fulminis ipsum
I gnibus exustum uiolentis perdidit Idam.
Pectora sic bello fortißima Tyndaridarum
I mpetere haud facile est, fortes è fortibus ipsos
V ictoresq; satos, uos ô clarißima Ledæ
P rogenies saluete, meisq; ante omnia laudem
V ersibus aspirate bonam, quicunq; poëtæ
M usica sacra colunt, isto sunt nomine chari
T yndaridis Helenæq; alijsq; heroibus, altum
Quicunq; euertere potentibus Ilion armis,
A uxiliumq; tibi iustum Menelaë tulerunt.
Aeternum decus ô reges & nomina uobis
I mmortalia perfecit diuinus Homerus,
D um canit atq; urbem Priami nauesq; Pelasgas,

I liacas ſimul pugnas, dum laudat Achillem
I nfractam belli turrim, ſed & hæc ego uobis
C armina, Muſarum blandiſsima munera, canto.
Qualia & hæ præſtant, et fert mea parua facultas,
T alia ſponte fero, pulcherrima munera magnis
C armina ſunt, nec honor dijs carmina gratior ullꝰ.

THEOCRITI ERASTES.

Eidyllion XXVIII.

VIr fuit in durum quidam reſolutus amorem
Totus, et inſano flammæ Cythareïdos æſtu
P erditus: hic puerum formæ præſtantis amabat,
V erùm difficilem, nec ſæuo in pectore formæ
R eſpondente animo: miſerum nanq; odit amantẽ,
E t neq; curabat, ſæuum neq; nouit amorem
Quis ſit, quamq́; potẽs deus, & quæ uulnera quãtis
V iribus infligat, quàm ſpicula figat acerba
I n pueros: ſic indomitus fuit ille puellus
O mnibus in uerbis, atq; in congreſsibus, & nec
V lla aderant miſero nimiæ ſolatia flammæ.
N on qui formoſo nitor effulgebat ab ore,
N on iubar ex oculis niueaq́; à fronte renidens,
M ellea non roſeum referentia mâla colorem,
S ermo refrigerium nullus, non grata ferebant
Oſcula

O ſcula, quin diro ſic contabeſceret æſtu.
S icut enim fera ſylueſtris, quam cura ſagacis
V enatoris agit, ſuſpectum præcauet hoſtem:
S ic puer ille uirum fugiebat & odit amantem,
A c uelut indignum patiens quid, percitus atra
B ile ferebatur, facieſq; ſimilima bili
P alluit, attenuabantur labra, floridus ipſo
F ugit ab ore color, toruumq́; tuentia quandam
L umina uim præ ſe turbata mente ferebant.
C orporis illa tamen ſpecies indigna ſuperbi
S ic quoq; contemptum magis exacuebat amorem.
T andem non ut amans lacrymas emiſit inanes,
S ed pueri ueniens ad limina flebat amati,
V eſtibuloq́; iacens dedit oſcula poſtibus atris,
E xtrema miſerum teſtatus uoce dolorem.
Dure puer, quem crudeles peperere leænæ,
S axee ſæue puer, nec amari digne, tibi iſthæc
V ltima dona ferens ueni, quo guttura frangam
F eralem laqueum, non amplius inde uidebis
T riſtibus iratum fatis puer improbe apud te:
S ed uadam funeſta patens loca protinus, in quæ
T u me condemnas, qua fertur amantibus eſſe
C ommunis uia, qua Lethe fluit alta furori

I nducens obliuia: ſed licet hanc ego totam
E potem, non hæc deſideria extinguantur,
E t nunc extrema tua limina uoce ſaluto.
N on equidem ignarus quid ſit poſt iſta futurum.
E t roſa formoſa eſt, ſed tempore marcet & aret.
F ormoſæ & uiolæ uerni ſub ſydere ſolis,
S ed citò conteritur flos, & nitor illa ſeneſcit.
C andida ſunt etiam per amœnas lilia ualles,
S ed citò marceſcũt: & quæ modò candida nix eſt
T abeſcit, moriturq́; breui liquefacta ſub æſtu.
E t puer eſt primis formoſus & utilis annis,
S ed manet exigui uiuens breue temporis æuum.
T empus et hoc ueniet quondam, quo tu quoq; ama
D ura cupidineo præcordia ſaucius igni, (bis
E t miſer ingratos heu multùm flebis amores.
N unc tamen extremũ hoc miſero da munus amãti
D ulce precor, quando egrediens hæc limina, celſa
D e trabe ſuſpenſum me uideris ultima paſſum,
T e propter, ne prætereas, ſed ſiſte parumper,
E t fleto modicum lacrymas è lumine fundens,
A laqueo me ſolue, tuoq́; è corpore ueſtes
I nijce, & abſcondẽs tege me: ſed & oſcula demũ
G rata fer exanimi, & quæ uiuo ſæpe negaras

Grati-

Gratificare mori per te formose coacto.
Sed neq; me timeas, non possum uiuere, non si
Conciliatus ames me totus, & oscula iungas.
At tumulum mihi conde meum qui condat amorē.
Quem si fortè adeas, ter ab imo pectore clama:
Dulcis amice iaces. quòd si non fortè graueris,
Hoc quoq; succlama: bonus est mihi rapt9 amicus.
Et breue concisis inscribe epigramma figuris,
Versibus exactum tibi quod signabo duobus:
Hunc amor extinxit, ne transgrediare uiator,
Siste pedes, & dic, durum est sortitus amicum.
Hæc fatus, lapidem capiens in limine fixit
Terribilem medio, tum funem tristia clamans
Nexuit, & collo laqueum circundedit atrum.
Atq; ita deuoluit sellam qua constitit aptans
Colla truci laqueo morientia, iamq́; pependit
Mortuus: at foribus postquam puer exit apertis,
Et uidet ante suum limen pendere necatum
Sponte uirum, nihil est fato commotus acerbo,
Nec fleuit miseranda nouæ spectacula mortis,
Sed misero uestes in funere polluit ipsas,
Quas habuit, deinde ad certamina gymnica tendēs,
Et magis his etiam iucunda lauacra petebat.

V enit & ad diuum, cuius modo numina facto
L æserat audaci, stabat pede factus ab imo
M armoreus iuuenum super uda lauacra Cupido.
C ontinuò statuam deus impulit: illa superbi
I n caput incubuit iuuenis, presßitq́; iacentem.
I lle breuem rubro uitam cum sanguine fundens,
V erba dedit, lingua uix hæc moriente loquutus:
Aequanimi perit osor amoris, uiuite amantes,
E t socios adamate, deus uidet omnia iudex.

THEOCRITI FISTVLA.

Eidyllion XXIX.

F istula es, ipsa tibi inspirat sapientia melos.
N eminis ô coniux longi genitrix Ptolemæi,
N utricis celerem hostipatris genuisti actorem.
N on cornutum illum nutritum taurigenis,
S ed quem linquis onustum umbone grauis clypei.
Q uemq́; biformem Geryones amor usserat,
V irginis aëriæ Meropis genere æditæ.
Q ui Musæ obtulit hulcera florigeræ,
S uauia amoris cordis ab igne sui.
P er quem fracta auicidæ consona,
E t Tyriæ iacet alta potentia.
N unc animam bona perigerum,

Cui Paris affert Simichides.
Gratum opus ô uiricalca
Lydæ flamma puellæ.
Furigena absq; patre
O Solidungule aue.
Dulceq́; canta
Virgine muta,
Calliopa
Occulta.

THEOCRITI IN MORtuum Adonim

EIDYLLION XXX.

ADoniden Cytherea
Vt uidit interemptum,
Nuperq́; purpurantes
Genas colore fœdum,
Et illitum cruore
Nigerrimo capillum,
Cupidines uocauit,
Et iußit ut uocati
Suem ferum sibi ipsi
Adducerent prehensum.
Qui iussa prosequentes

Mox lustra peruolarunt
Horrentis alta syluæ,
Tristemq́; & imbecillem
Suem graue ligarunt
Rigore uinculorum.
Alius trahebat autem
Laqueo truci reuinctum.
Hic terga uerberabat,
Et arcubusq́; & ipsum
Vrentibus sagittis.
Et ibat ille tristis,
Veneris quidem timebat
Superba iussa duræ.
Cui dixit ipsa postquam
Conspexit esse captum:
Quid peßima ô ferarum,
Tu'ne hoc femur decorum,
Meum'ne tu puellum
Insana uulnerasti?
Cui sic recepit ille:
Te diua Cypris, ipsum
Per & tuum puellum,
Per hæc & ipsa iuro,

Quæ uincla me coarctant,
I tem per hos amores
Qui me tulere captum,
L æsisse non uolebam
Quem nunc doles puellum,
I niqua fata passum.
S ed ut decora uidi
L abra & uultus honesti
P ulcherrimum nitorem,
S tatuam ratus deorum
F uisse perpolitam,
F lammæ nocentis hausi
Quo subruebar ignem.
Quem non ferens, ut illi
N udum femur uolebam
I nsanus osculari,
I lli sed innocenti
M iser & mihi nocebam.
H os nunc Venus prophanos
P uni, recide dentes
S uperfluas: quid autem
F ero amplius? sed hæc si
S atis ampla pœna non est,

E t ipsa labra puni
H æc: illius querentis
V enus miserta iußit
A moribus proteruis
V t uincla dura soluant,
E t liberent ligatum.
Qui mitis inde syluam
N unquam subiuit altam,
S ed ignibus propinquans
S uum nocentem amorem
I ncendit & perußit.

THEOCRITI HERCVLISCVS.

Eidyllion XXXI.

QVinq; bis Alciden menses ætatis habentem
Alcmene Mideatis, & una nocte minorem
I phiclum, quandoq; lauans ac lactibus implens
A mbos imposuit clypeo, quem fortis ahenum
A mphitryon Pterelæ, scutū haud ignobile quondā
E ripuit cæso, capita hinc puerilia tangens,
S ic pueros affata suos est prouida mater:
Claudite nunc oculos, dulcemq; capeßite somnū
I nfantes animæq; meæ, dormite beati,
E uigilate iterum uenturæ lucis ad ortum.

Hæc

Hæc ubi dixiſſet, uelut incunabula leni
V erſabat motu clypeum, tunc mollior illis
O brepſit ſomnus. Sed adacto tempore poſtquam
F rigida iam mediam uoluebant ſydera noctem,
H umentemq́; poli ſtabat Borealis ad arcton
E nſifer, & magnos humeros monſtrabat Orion,
T unc meditata dolos furijs exercita Iuno,
H orrentes ſquamis duo peſſima monſtra dracones
C œruleis immiſit: at illi limine ab ipſo
P lana pauimenti uerrunt loca, nigra trahentes
C orpora, ſanguineos oculis ſpirantibus ignes,
M embra uoraturi ceu protinus Herculis ibant,
T riſte minabundo ſpargentes rore uenenum.
I amq́; propinquabant pueris, uibrantibus ora
S ibila lambentes linguis, Ioue cuncta uidente.
E xcutiebantur ſomno Mideatide nati
A lcmena: tum lux uiſa eſt inſueta per omnem
E ffulgere domum: poſtquam tunc uidit in ipſo
S erpentes clypeo, dentesq́; horrore tremendos,
A ſpexit, mox Iphiclus puerilia multo
F rigidus oſſa metu uagitus ædidit, altis
D iſijciens pedibus uilloſæ tegmina ueſtis,
T anquam qui cuperet fugere atq; euadere ab hoſte.

At puer Alcides nihilo conterritus, ambas
Extenditq́; manus, anguesq́; prehendit, & urgens
Pugnisq́; & grauibus connectit guttura uinclis,
Plurima qua tetri sunt semina parte ueneni.
Quos etiam superi oderunt, serpentibus atris.
Illi autem crebro repetita uolumina circum
Nectebant puerum, paulò antè in luminis auras
Progenitum superas, & adhuc lactentia labris
Vbera sugentem, neq; sub nutrice gementem.
Mox iterum passo dissoluunt corpore gyros:
Nanq; fatigati spinas, euadere quærunt
Vincula, quæ nimio iam dura labore ferebant.
Audijt Alcmene clamorem, ac territa primùm
Consurgit, taliq́; uirum sermone fatigans:
Surge, ait, Amphitryō, nă me timor anxius urget.
Surge age, nec pedibus circundare sandala cures.
Num'ne audis pueros? quàm clamat iunior autem.
Non'ne uides intempesta quia nocte refulgent
Luce noua claraq́; hæc tota cubilia? nondum
Quum tamen ulla dies croceos detexerit ortus.
In nostrā noua monstra domū uenere: quod adsit
Est aliquid mihi crede nouum. sic dixit: at illi
Moriger Amphitryon consueta cubilia liquit,
Artificiq;

Artificiq; manu factum prorupit ad ensem
Appensum clauo, quem cedrina sponda tenebat.
Tunc primum zonæ pulcherrima cingula nuper
Contextæ petit, inde manu properante prehendit
Vaginam nigræ graue opus de stipite loti.
Tunc ingens thalamus caligine rursus opaca,
Et multùm tenebris oppletus inhorruit atris.
Hic multum famulos efflantes pectore somnum,
Ipse uocans, afferre focis iubet ocyus ignem.
Surgite, ferte citi, foribusq́; repagula apertis
Deijcite, ô operum patientes. hactenus ille
Clamabat: propere lychnis ardentibus illi
Accurrunt: iam parte domus properantibus omni
Plena fuit seruis, iam clara in luce uidentes
Exiguis manibus duo frigida monstra tenentem
Alciden puerum, tum læta uoce sonabant.
Ille autem dextra serpentia monstra prehendens
Extulit, atq; manu uersabat in Amphitryonem
Altius, exultans, ridens, & morte grauatos
Ante pedes patris abiecit quos uicerat angues.
Ipsa sinu rapit Iphiclum fidissima mater,
Exanguem siccumq́; metu: nec secius aufert
Amphitryon altum sub tegmine uestis ouillæ

I nuoluens puerum, ſolitiq́; cubilia lecti
T um repetens, placidi reminiſcitur ocia ſomni.
E t iam tempus erat, dilucula proxima galli
C oncinuere alacres, terna uice uera loquentem
O mnia Tyreſiam uatem uocat anxia mater,
E xponensq́; noui caſus miracla, iubebat
D icere, quid tali portendant numina monſtro.
D ic, ait, ô uates, nec ſit pudor ædere, quicquid
V el ſi triſte etiam, denunciat ira deorum.
N ec tege quicquid erit: nec enim ex mortalibus ulli
E ffugere eſt quæcunq; deæ fatalia nerunt,
F ila ſuum certo carpentes ſtamine fuſum.
N unc tamen hæc uates doceo te cuncta ſcientem.
H actenus Alcmene, cui talia reddidit ille:
Felix prole bona ſanguis clariſsime Perſei,
F ide animo mulier: per enim mihi dulcia quondam
L umina, nunc cæca caligine perdita, iuro,
I nter Acheiadas uiuet tua fama puellas.
E quibus innumeræ quondam data penſa trahentes,
P er totos tua facta dies laudesq́; ſonabunt.
I pſa eris Argiuæ decus & reuerentia famæ.
T alis in aſtriferum quondam aſcenſurus olympum
E ſt tuus iſte puer, talis uir in orbe futurus

H eros magnanimus robusto pectore fortis,
C ui totum cedent animalia cuncta per orbem,
O mnes atq; uiri tanta uirtute minores.
H uic fato bis sex restat superare labores,
I nde domos Iouis ingrediens habitabit olympum.
Quicquid erit mortale feret Trachinius ignis.
I lle etiam superûm fiet gener: hic erit infans,
Quem nunc hi rabido morsu petiere dracones.
H ic erit illustris totum uirtute per orbem.
I lla dies aderit quando lupus acer in altis
C onspiciens ceruam recubare cubilibus olim
N on uolet appetere, aut atroci lædere morsu.
V erùm age nunc curato, intus tibi lucidus ignis
A rdeat aspalathi de lignis, aut paliuri,
A ut spinosa rubi concidite ligna uirentis,
A ut etiam sicci quod uentus mouit acherdi.
H is dein subiectos lignis incende dracones
T empore quo noctis puerum uenere uolentes
O ccidere: hinc cineres sub primum syderis ortum
C olligat, & fluuij ferat ad uada proxima riui
V na ministrarum, uentiq; ad flabra secundi
S pargat arenosis petris, non ipsa retrorsum
R espiciens properè redeat: tum sulphure puro

H anc primùm lustrate domum, ramoq́; uirenti
R ite coronatam & mistam sale spargite lympham,
E t facitote Ioui porco mare sacra supremo.
S ic uestris proprios uincetis uiribus hostes.
D ixit, conuersusq́; in sella adsedit eburna
T yresias, multis grauis & iam debilis annis.
A t puer Argiui qui filius Amphitryonis
C reditus est, ut planta recens adolescit in agro
V bere, & aërias crescendo surgit in auras,
C rescebat sub matre suos nutritus in annos.
L itterulas puerum docuit Lynus, inclyta Phœbi
P rogenies, uigil & curis, atq; impiger heros
R obustum neruis intendere fortibus arcum
E urytus ex magnæ genitus patre diuite terræ.
S ed canere & manibus citharam pulsare canoram
D icitur ostendisse Philamonides Eumolpus.
A t quæ diuitibus certamina cunq; sub Argis
C ommouere uiri plantis pernicibus acres,
Quasq́; palæstritæ luctatoresq́; tenaces,
E t sua qui crudo committunt robora cæstu,
I nuenere artes, apud Harpalycum Phanopea
M ercurio genitum didicit, quem nemo ferebat,
N e per longa quidem procul interualla locorum

Aspiciens,

A ſpiciens, duro in certamine: tam fuit hirto
D enſa ſupercilio metuendæ frontis imago.
S ed coniungere equos curru uertente rotarum
A d metam radios & campi tuta tenente
A mphitryon puerũ ſapiens, et ad omnia promptus,
I pſemet edocuit: nanq; ipſi plurima palmæ
M ultiplicis, ſeruata domi ſtant præmia, currus
O lim uictorem magna cum laude ſequuti.
T unc quoq; qui ſtabant infractis axibus illi
M œnia ad æripedum gregibus præſtantis equorũ
A rgeos, abſq; ullis longo iam tempore loris.
A t longas torquere haſtas, robuſtáq; latis
T erga tegi clypeis, gladiorum ferre labores,
C oncertare uiris, aciem diſponere, cautas
O cculere inſidias, turmas educere in hoſtem,
H ortari poſſe, edocuit fortiſsimus armis
C aſtor eques, qui uenit equeſtribus exul ab Argis,
M œnia quum Tydeus iam tunc Argiua teneret,
A draſto cedente locum ſortémq; paternam,
V iniferumq; ſolum: quo tempore non fuit alter
T ot claros inter uirtute heroas & armis
H uic profugo ſimilis, donec tulit integer illum
S anguis, & ætatem non carperet ægra ſenectus.

A t ſic inſtituit puerum fidiſsima mater,
I llius ut ſemper coniuncta cubilia patris
H ærerent thalamis, cui multum grata leonis
P ellis erat lectus: conſuetæ fercula cœnæ,
I gnibus aſſa caro, atq; ingenti pondere panis
D oricus, appoſiti depromptis ab ore caniſtri,
Qui ſaturare etiam poßit foſſoris inanem
I ngluuiem, crudisq; diurnæ tempore lucis.
E t paucis contentus erat, nec prorſus ab ulla
A rte laboratas ueſtes, talesq́; ferebat
Quales uix genuum media internodia tangant.

HACTENVS QVIDEM THEOCRITUS. Deeſt enim præſenti Eidyllio finis, quem Ioachimus Camerarius Græcis uerſibus à ſe deſcriptum adiecit.

Καδ δ' ὀρεῖ οὐ πάμπαν χωρὶς ῥοπαλοῖο μετ' ἄγραν
Πτωκῶν ἠδ' ἐλάφων καὶ λυγκῶν αἰολοδέρμων
Εἷρπε Διὸς μικκὸς μὲν ἔτ' ὢν παῖς, ἀλλὰ μέγιστος
Ἐσσόμενος, ποκα τ' οἰσόμενος μέγαν οὐρανὸν ὤμοις.
Οὐ γὰρ οἱ ὡ'πόλλων πω τόξα καὶ αὐτὰ βελεμνὰ
Δῶκε φορῆν, ἑνὸς ἐκ γενετῆρος ἐόντι ἀδελφῷ
Ζανὸς ὃς ἦλθεν ὑφ' ἓν θνατοῦ λέχος ἀμφιτρύωνος,
Οὔτε σάκος νομᾶν, οἷός τ' ἦν παντόθεν ἴσον,

Εἰδόμενον

Εἰδόμενον πυρὶ λαμπομένῳ, καὶ ἄστρων ἀμαρυγαῖς,
Ἡφαίστου φίλα δῶρ' ἔχθρ' ἄστρων ἐόντος ἀφ' ἥρας.
Ὦ γὰρ πάντα τέτυκθ' ὅσ' ὑπὸ χθονὶ γίνεται ἔργα.
Ἀνθρώπων θαλίαι τε καὶ αὖ πολέμοιο κυδοιμοί
Ζῷα τε καὶ φοβεραὶ κεφαλαὶ ποίηντο δρακόντων,
Ἐν δ' ἦν ἡ λίμνη πρεσβείας ἀμφιτρίτης,
Ἐν δὲ θεῶν μακάρων ἱερὸς κατ' ὀλύμπου ὅμιλος.
Τῷ πίσυνος καὶ κύκνον ἀρήιον υἱὸν ἔπεφνε
Αὐτῶν τ' οὔτασε μηρὸν ἄρηος τειχεσιπλήτου,
Χ' οὕτω μὲν Διὸς υἱὸς καὶ εὐσφύρου ἠλεκτρυώνης
Ἀλκμήνης ὄφρ' ἄνθος ἐπ' ἀγλαοῦ ἶσδε προσώπου
Θηβαῖον κατὰ δῶμα φίλης ὑπὸ γούνασι μητρὸς
Ἔτρεφετ' ἐν θαλίῃ καὶ ἀμφὼ μάλ' ἔτερπε γονῆας.
Ἤδη δ' οὖν χλοεροῖς ἐπυκάσδετο θειξὶ γένειον
Ἀκμάζοντος ἐκείνου. ὁ δ' αὖ εἰς δοῦπιν ἄρηος
Φοίτα, ἀνδρεσσιν μεμαώς, καὶ ἥρωσι μάχεσθαι
Καὶ θῆρσ' ὑλοτρόφοις ἄρκτοις φοβεροῖς τελέουσι,
Ἀλλ' ὑπὸ οὖν γήραος ἦυς παῖς ἀλκαίοιο.
Μητρὸς ὃς ἔσχε γάμους βίης ἡρακληείης.
Δὴ τότ' ἐπ' εὐρυσθῆος ἐπέμπετ' ἀγῶνας ἀνάγκη,
Ἥν οἱ γεινομένῳ ἂμ ἐφέψατο, ζεὺς ὁπόχ' ἥρης
Ἐξ ἀπατῶν εὐρυσθεῖ ἁπάντων ὤμοσ' ἀνάξειν
Τῶν αὐτοῦ γενεῆς ἀμφικτυόνων βασιλήων,

Ἔνθ' ὅδε τὸν νεμεαῖον ἑλὼν σύλησε λέοντα
Δέρμα τε ἀμφιτιθεὶς δεινοὺς ἠρύσατ' ἀέθλους
Ὅσσους Εὐρυσθεὺς ἐπέτελλ' ὑποφρηνορέησι.
Ἀυτὰρ ἐγὼν τὸν μικκὸν ὑμνήσας ἀμφιτρύωνος
Παῖδα κικλησκόμενον κρείττους ἔπι μνήσομαι
ἀοιδῆς.

Hos ita uertimus.

Venator uerò montes syluasq; peragrans,
Haud unquam sine fuste feras sectatus agebat,
Aut timidas ceruas, aut pictos corpora lyncas.
Tunc equidem teneris, & adhuc impubibus annis
Filius ille Iouis paruus, sed & inde futurus
Maximus, atq; humeris magnum laturus olympum.
Nanq; illi nondum telis metuendus Apollo,
Ipse suas arcus dederat, celeresq; sagittas.
Quum tamen ipse etiam patre proditus esset eodem
Ex Ioue, qui cum formosa consueuerat olim
Alcmena, thalamosq; deus mortalis inibat.
Nec clypeum uersare manu tum robur habebat,
Flammifero lucentem igni, radijsq; micantem
Astrorum adsimilem, quem fidus Mulciber illi
Vulcanus dederat, pulcherrima munera, quamuis
Iunonis faber ille inimicæ filius esset.

In quo

I n quo cuncti inerant quos gignit terra labores,
L etitiæ risusq; hominum, sæuiq; tumultus,
B ellorum & uarijs animalia picta figuris
O mnia, sæuorumq; minacia colla draconum
A tq; lacus senio uenerabilis Amphitrites,
D iuorumq; sacer cœtus, quos regia cœli
D iues habet, quo fretus ademit Marte creato
E luctantem animam Cygno, Cygniq; parentem
V ulnere conciso percußit in inguine Martem.
S ic Iouis ille quidem & formosæ filius idem
E lectryoniadis, dum flos ætatis ab ipso
O re renidebat, primaq; uirebat in herba,
P rima tulit claris nutritus tempora Thebis
I n charæ genibus matris, iuueniliter alta
D electans utrunq; adeò uirtute parentem.
V erùm ubi iam molli tenues lanugine malæ
V estirentur, & in fortes adolesceret annos,
T um uerò strepitum Martis meditatus & arma
C onseruisse uiris, fortesq; lacessere bello
H eroas, magnasq; ausus præsumere uires,
A ggrediens ursasq; feras, sæuosq; leones,
E t quæcunq; colunt altas animalia syluas,
S æpe suæ solus confecit robore clauæ.

Sed postq̃ Amphitryon senio est confectus inerti,
Cui coniunx Alcmena fuit, magni inclyta mater
Herculis, ad durum uis hunc Eurysthea fati
Misit inhumani laturum iussa tyranni.
Nanq; ea nascenti puero uis indita fati est,
Quum pater ipse dolo captus Iunonis iniquæ
Iurauit cunctis Eurysthea iura daturum
Regibus ex sese genitis: postquam impiger autem
Tergora raptori Nemees detracta leoni
Induit Alcides, duros exinde labores
Suscipiens, horrenda tulit certamina, quanta
Qualiáq; Eurystheus inuictum ferre iubebat.
Nunc quoniam pueri, qui filius Amphitryonis
Creditus esse fuit, celebrauimus Herculis acta,
Carmina dehinc maiore sono meliora canemus.

SEQVENTI EIDYLLIO PRINCIpium, sicut & præcedenti finis deerat, quod & ipsum ab Ioachimo Camerario scriptum, atque huc appositum est.

ΕΙΔΥΛΛΙΟΝ ΑΒ.

ΗΡΑΚΛΗΣ ΛΕΟΝΤΟΦΟΝΟΣ.

Υμνήσω τὺ διὸς παῖς ἀνθρώπων ταλαέργων,
Σῶτερ, ὑπ' ἀργαλέαις ὀδύναις μογερῶς ζώοντων

οὓς

Οὓς προφανεὶς ἔρυξας ἀπὸ πάσης ἔθνεα γαίης
Ἐκ τ' ἀνδρῶν ἀδίκων ἐκ θηρῶν τ' ἀγριοδαίτων.
Καὶ ποκ' ἀναστρωφῶν πολυπάμμον' ἐσήλυθες
Ἔνθα δ' ἢ αὐγέης ὑπεριονίδας βασιλεὺς (ἄλιν
Ὦ τόσ' εἰλίποδές τε βόες καὶ ἴφια μῆλα
Ἀμπεδίον βόσκοντο καὶ ἐν πόιη κατάκειντο,
Ὥστε νομὰς πλήθει πάσας γίνεσθαι ἀμαυρὰς
Ταύρων τ' ἠδ' οἴων ἀποδρυφθείσας ὑπὸ κόπρου
Ἃ κεῖτ' ἔνθα καὶ ἔνθ' αἴης κρύψασα πρόσωπον.
Καὶ τοῦ μὲν ἠλιάδας μεγάλην ποτὲ μισθὸν ὑπέστη
Ἂν δέκα θρέμματα πάντα τεῇ βίηφι μεῖσδεν
Ὄφρα οἱ αὐλείην καὶ ποιμνία μακρὰ καθαίρῃς,
Ἀλλ' ὅπποτ' ἀπάτησ' ἐπειδὴ τοὔργον σὺ τέλεσσας
Τοίθ' ἅμα αὐγεάδης πατέρα προλιπὼν κίε φυ
Ἤ μοι ἤ τιν' ἄλλω ἔτ' εἰρύσεσθαι οἴω. (λεὺς
Νῦν δ' ὡς τὴν ἀφίκανες ἐπεισβὰς ἄλιδα δῖαν
Ἐρχομένων πρόφρων σὺ δέ μ' ἔθλα δός ὦ γαθὲ
Ἤδη τοι τροιζῆν' ἁγνοῦ λίπε, πιτθέος αἶαν (δαῖμ)
Ἀλκείδας ταῦρον μαραθώνιον ἐξεναρίξας
Δέρματι γαυριόων βεμβινήταο λέοντος
Ἄλιδα δ' εἰσαφικὼν μείζους μαστεύετ' ἀέθλους.
Σπεῦδε δ' ὅγ' ἐς βασιλῆ' ἰμὲν αὐγείην πολυ-
βώτην,

Ὡς δ' ἄρα χῶρον ἵκανε βοῶν ἀριθμόν τ' ἐνόησε,
Ἀλλ' οὐδ' ὡς ψαμμῶ δίνης ἐναλίγκιον ἄλμης,
Οἷον σκιδναμένης φήμης ἤκουσεν ὅτ' οὔδει
Αὐτοῦ πᾶσ' ἀγέλαι μὲν ἐβόσκοντ' ἐν ἐνὶ χώρῳ.
Ἔνθ' ὁ γέρων ποίμαινε βοῶν ἴφθιμα κάρηνα
Γαυλὸν τεκτήνας, ῥιπὸς σὺν χερσ' ἅμματα πλέξας.
Τὸν δ' ἄρ' ἰδὼν παῖς ἀλκμήνης μετέειπε παρασάς,
Βωκόλε χαῖρε γέρον, τίνος αἱ βόες; ἃ δ' ἔτε χώρα
Ἦρά νυ αὐγεία ὁρόω πολυώνυμον ὄλβον;
Τῷ δ' ἄρ' ἐγὼ πολὺ πλέω ἔφασκον χρήματ' ἰδὴ
Παντοίων ἀγαθῶν οἴων τ' αἰγῶν τε βοῶν τε (σεῖν
Αἱ δ' ἀγελ' ἀνδρὸς ἑνὸς τῶν πλείστων ὧδε πλα-
νῶντο.

Nos ita uertimus.

THEOCRITI HERCVLES Leonicida.

Eidyllion XXXII.

INclyte nubifrago nunc te Ioue nate canemus,
Saluator miserorum hominum, durasq; ferentum
Aerumnas, uel ab iniustis quos saepe tyrannis,
Aut loca pestiferis uastantibus omnia monstris,
Ceu praesens aliquis deus aethere missus ab alto
Saluasti, non una aliqua in regione moratus,

Sed quacunq;

Sed quacunq; aliquis uasti patet angulus orbis
Gentibus afflictis requiem pacemq; dedisti.
Qui ditem pecorum quandoq; profectus in Elim
Venisti, quo tempore regia sceptra tenebat
Elidis Augeas, cui tot pecorumq; boumq;
Atq; ouium pingues pascebant millia campos,
Totq; recumbebant uirides armenta per herbas,
Vt uix sufficerent, & pascua uasta iacerent
Plurima, & ipsa fimo tellus contecta lateret.
Tunc Hyperionides ingentia munera pactus,
Et decimum tibi quodq; pecus promisit, ut esset
Hæc tibi uirtutis certissima præmia merces,
Si stabula egesto purgares tota fimeto.
Verùm opere exacto, qua te deceperit arte,
Quoq; modo tecum deserto patre profectus
Iuerit Augeades Phyleus, aut carmine nostro,
Aut alio quocunq; olim dicetur opinor.
Nunc ut ad hos ipsos pecorosam ueneris Elim
Dicere conanti faueas precor optime diuûm.
Liquerat Alcides terram Trœzenidos oræ,
Sparsus adhuc calido Marathoni sanguine tauri,
Et robusta noua Nemeæi pelle leonis
Corpora tecta gerens, peruenit ad Elida, palmam

E t noua maioris quærens certamina pugnæ.
I amq́; iter accelerans pecorosum accedere regem,
I n loca peruenit quæsita, immensáq; uidit
A gmina, sed non tot numero quot littus arenas
C ontinet, ut famæ narranti credidit olim.
H îc senior uirides pascens armenta per herbas,
R ustica fingebat titubanti pocula dextra,
M olliáq; inductis texebat uimina iuncis.
H unc ubi conspexit Mideatidos heroines
F ilius; accedens uerbis affatur amicis:
Salue annose senex, cuius regionis in ora?
C uius & hos fœcunda greges in pascua ducis?
N unquid opum fuit hæc Augeæ summa beati?
H uic ego plura uiro certè prius esse putabam,
Q uàm quæ nunc uideo caprarum armenta boumq́;
A tq; ouium, certè grex hic cuiuslibet esse
E uulgo potuit, nec clari diuite censu.

Hactenus Ioachimus, sequentia Theocriti sunt.

H uic senior, quod agebat opus cœptumq́; laborem
O mittens, pastor placido sic reddidit ore:
O mnia liberius quæcunq; rogaueris hospes
E xpediam, sua Mercurio qui compita seruat

M unera gratificans: nanq; hunc ex omnibus unum
I rasci facilè & multùm cœlestibus aiunt,
S i quis fortè uiatorem contemnat, eundo
C ui sit opus durum pedibus superare laborem.
Non eadem ueniunt Augeæ in pascua regis
P ræpingues nitidiq́; greges, diuersaq́; seruant
I nter se loca: nanq; alij nascentia ripis
G ramina latiflui tondent Elisuntis ad amnem:
S tant alij ad sacras Alphei fluminis undas.
H i iuga Buprasij circum pecorosa uagantur,
H i uerò, quos ipse uides, hæc pabula carpunt.
N on omnes eadem ueniunt in septa, seorsum
Q uilibet è gregibus stabulant: & plurima quamuis
S int armenta gregum, sua sunt tamen omnibus illis
P ascua, sunt etiam semper florentia circum
D epressas quas Menius efficit ipse paludes.
P ræterea dulces ultro pascentibus herbas
R oscida prata ferunt, riguisq́; uberrima pratis.
V nde suum bobus robur succrescit & auget
C orpora cornutis, quibus hîc à limite dextro
E st stabulum, quod & ipse uides, nullius egenum
S tructuræ, trans ulteriorem fluminis oram,
Q ua stant perpetua platanisci fronde comantes,

E t uiridis ramos folijs oleaſter inumbrat.
H îc ubi templa tenet ſua paſtoralis Apollo,
M aximus ille deûm:ne tu ignoraueris hoſpes,
I llic ampla ſatis ſunt diuerſoria nobis
A gricolis, qui iuſticia & probitate tuemur
D iuitias regi immenſas, qui ſemen in agros
M ittimus, & certos per aranda noualia fructus,
Quæq; reuerſuro quater euerruntur aratro.
Qui loca ruricola fodimus montana ligone,
E t premimus grauibus noua torcularia prælis,
Quum matura graues uindemia rettulit æſtus.
T ota quidē regio hæc, quā cernis, & omnia circū
I ugera fructifera ditantia meſſe colonos,
O mnes hi nemorum ſaltus, hæc plana uireta
D iuitis Augeæ bona ſunt, hæc omnia prudens
P oßidet Augeas, uſq; ad iuga montis aquoſi,
V ſq; ſub extremas manantes fontibus arces.
O mnia quæ totis nunquam ceſſanda diebus,
N os opera exercemus, & arua agroſq; colentes
E ſt æquum facere agricolas dominoq; fideles.
V erùm age dic, nanq; hinc aliquid tibi forſitan ho=
V tilitatis erit, quibus huc iam rebus egenis (ſpes
V eniſti? num ne Augean? an fortè requiris

Illius

I llius è famulis aliquem? quicunq; ſit ille,
I pſe tibi haud dubie quo nomine, qua facie ſit
D ixero: nanq; hominũ te de genere eſſe malorum
H aud puto, qui ue malos inter ſis natus, ut iſthæc
F orma decens & honeſta ſatis teſtatur, & ipſum
H aud ſcio an hoc rectè dubitem, tales ne deorum
S unt pueri, ſi ſint pueris hominum collati.
H uic ita reſpondens natus Ioue reddidit heros:
Augean certè ô ſenior, qui regnat Epeis,
C auſa uiæ fuit, ut uideam: mihi nanq; neceſſe eſt
C onueniſſe uirum: quòd ſi nunc ciuibus ille
P ræſidet, & populum curans æqualia iura
T ractat in urbe manens, tu me deducere manda
E ſeruis aliquem, qui de ſenioribus agros
H os colat, atq; opera ſit non fallente miniſter,
Qui queat atq; audire loqui opportuna uolentem,
A tq; ſimul iucunda & cognoſcenda referre.
N anq; alias alij norunt res munere diuûm.
H uic ſenior tali reſpondens uoce profatur:
Non ſine conſilio, non huc ſine numine diuûm
V eniſti, tam cuncta tibi ſunt protinus hoſpes
Queis opus eſt, perfecta: equidem Phœbeia proles
Augeas comitante ſuo pater huc quoq; Phyleô

V enit heri, causisq́; alijs atq; urbe relicta
I nspecturus opes, quas ex tot pinguibus agris
P oßidet innumeras, ut regibus esse uidetur
S anior & seruata domus curantibus ipsis.
S ed nunc tẽpus adest, ut nos properemus ad ipsum.
I pse ego præcedens te ad nostra bouilia ducam,
H aud dubie regem nos inueniemus in illis.
H æc fatus præcedebat, duxitq́; sequentem,
M ulta animo secum ipse mouens, quum fulua leonis
T ergora conspiceret, grandisq́; insueta pharetræ
P ondera, uenisset q̃bus hic nouus hospes ab oris,
I amq́; rogaturus quæ mirabatur ab ipso,
C ontinuit uocem, conceptaq́; uerba repreßit.
H oc quoq; formidans properantem uocibus ipsum
C ompellare uirum, non apto tempore dictis.
N on etenim facile est alienæ noscere mentis
C onsilia, & tacito quid pectore sentiat alter.
E rgo propinquantes stabulis, ad septa locati
C ognouere canes, quòd odorem nare sagaci,
A ure pedum strepitus sensere, utriusq; subinde
V astos horrisona latratus uoce dederunt.
H inc aliunde alius magno incurrere tumultu
I n Ioue progenitum, coram sene procumbentes

In primos

I n primos iacuere pedes, caudasq́; mouebant
S icut adulantes blandi: tum deniq; ſaxis
A rreptis ab humo retro fugere ipſe coëgit,
A dijciensq́; minas terrebat uoce manuq́;,
A tq; ita latrantum ueſana coërcuit ora.
L ætus ob hoc animo ſtabuli quòd ſepta tenerent
S eſe non præſente, ſimul, proh Iuppiter, inquit,
Q uale hoc eſſe animal ſuperi uoluere, ſimulq́;
V iuere cum miſeris mortalibus? ut ſapit autem?
Q uòd ſi plus etiam forte hoc rationis haberet,
V t ſciret quibus iraſci, quibus eſſe benignum
C onueniat, non quiſquam adeò contendat honori
Q uadrupedum: nunc iracundum hoc, & nimis acri
B ile tumet, faciliq́; eſt irritabile motu.
D ixit, & ad ſtabulum pariter uenere profecti.
Flexerat igniuomos prono temone iugales
P hœbus, Atlantiaci ſubituros æquoris undas,
T empora deciduæ ducens extrema diei:
P rotinus herboſi linquentes gramina campi,
I nnumeri uenere greges ſtabula alta petentes,
L anigerarum ouium, & magnorũ plena iuuencûm
C orpora, quæ numero nequeas cõprendere, poſtq̃
P oſt alios alij ſubiere, nec agminis ullus

F inis erat, densusq́; oculis apparuit ordo.
N on secus ac nubes grauidæ cœlestibus undis,
S æpe alias aliæ pellunt, primisq́; sequentes
S uccedunt, quas siue Noti, siue impetus urget
T hreicij Boreæ, quarum numerum'ue modum'ue
H audquaquam expedias, tam nubila plurima uenti
C onuoluunt, alijsq́; alia impedientibus arcent.
T alis agens armenta fuit præpinguia pastor,
I nnumerosq́; greges, qbus omnis cãpus, & omnis
I mplebatur ager, nec erant loca nuda uiarum
P ræ turba ueniente boum: mugitibus arua
L ata resultabant, spaciosas grandia caulas
I mplerunt armenta, suis in ouilibus agnæ
S tabant inclusæ: sed erat labor improbus intus,
N ec quisquam cessabat, opus qui posset agendo
E xercere aliquod: funes & uincula uaccæ
I nijciens alius pedibus mulgebat adhærens,
M atribus ille suis lactentes subijcit agnas,
A ut uitulos auidè dulci de lacte bibentes.
H ic mulctram calido fumantem lacte tenebat,
I lle noui preßit coitura coagula lactis.
A uaccis alius tauros abduxit, & intrò
C ompulit: Augeas uerò bubilia tota

Circumiens

Circumiens opulentum admirabatur honorem,
Cum nato simul & multa uirtute beato
Amphitryoniade, regi testante superbas
Diuitias, uerùm insuperabile pectus habente,
Infractumq́; animũ, & semper se digna gerentẽ.
Miratus tamen est hic innumerabile uulgus
Cornuti populi: nec enim quis dixerit uni
Esse uiro tot opes, nec tantas possedisse
Vel bis quinq; alios, quicunq; ex regibus unquam
Forsan abundarint gregibus: nam maximus olim
Sol dedit hoc nato, quo non præstantius ullum
Munus, honore uiris ut ditior omnibus esset
Quadrupedum, cuiq́; ipse greges armentaq́; tota
Auxit, & eximij dedit incrementa peculi.
Ista quidem nulli repsere in ouilia morbi,
Nulla per armentum contagia, plena laborum
Pascua sunt uacuis, cornutæ plena iuuencæ
Corpora semper habẽt, et ab anno semper in annũ
Accrescit melius robur, cunctæq́; fuerunt
Fœcundæ nimis, & uitali robore fultos
Aedebant fœtus, quorum pars maxima uaccas
Enixæ iacuere, simul per amœna trecenti
Errabant saliceta boues, prægrandibus omnes

C ruribus, & nigri quidam, iuxtáq; ducenti
P hœniceo picti uillos & membra colore.
O mnes hi poterant teneras iam inscendere uaccas.
B is sex inde alij similes candentia cygnis
C orpora, quos Phœbo sacrauerat ipse parenti,
E rrabant alijs præstantes robore multo:
N ec tam forma decens fuit ullis de grege toto
C uruipedum, siquidem à reliquis seiuncta tenebant
P ascua, & errabant soli in uiridantibus herbis,
P ræ cunctis alijs propria uirtute superbi.
Quòd si progreßi densis è saltibus ipsi
N onnunquam in campũ petituri armenta ruebant,
B ella laceßiti primi pugnamq́; subibant
C orporibus uastis & magno robore fulti,
E t fremitu horrisono cædemq́; & uulnera torua
F ronte minabantur, quos inter maximus omnes
V iribus, & solido præstabat robore multæ
V irtutis Phaëton, quem stellæ sæpe solebant
D icere pastores similem, quia lucidus ibat
I ncedens alios inter, claroq́; nitebat
C orpore conspicuus: qui flaui pelle leonis
C onspecta, mox incursu sublatus in ipsum
I rruit Alciden, robustáq; cornua, frontemq́;

In latus

I n latus inclinans: cuius tunc ille prehendens
C ornua læua manu robuſta, & pondere quamuis
C eruicem ualidam, terræ proſtrauit, & ipſum
R eppulit innitens humero: ferus ille ualentes
I ntendens neruos, ſumma de parte toroſi
P ectoris erectus robuſtis conſtitit armis.
R es uerò tantas admirabantur agentem
T am rex Augeas, quàm fortis pectore Phyleus,
E t qui bobus erant cuſtodes fortibus, iſtam
V irtutem tantam & tam fortia facta uidentes
H erculis: at Phyleus, & multo robore præſtans
A mphitryoniades agros & pinguia linquunt
P aſcua, uicinæ tendentes alta ſub urbis
M œnia: iamq́ue uiæ popularis prima tenebant,
E xiguum celeri callem pede conficientes,
Qui per amœna ferens loca uitibus obſita duxit
A ſtabulo, uiridi in ſylua, uia cognita paucis,
H îc ſatus Augea formoſo corpore Phyleus
I n dextrum uertens humerũ caput, atq; ſequentem
R eſpiciens ſummo natum Ioue, ſic prior infit:
 Certè equidẽ de te iandudum audiuimus hoſpes,
Quod memori ſubit hic animo, quodq́; ipſe recor-
Nãq; uir Inachijs ad nos huc uenit ab Argis, (dor.

F lore nitens ætatis adhuc, & gentis Acheæ
L ittorea ex Helice, qui multos inter Epeos
D ixit, ut Argiuorum aliquis se prætereunte
P erdiderit magna sæuum uirtute leonem,
P rodigium & pestem cultos habitantibus agros,
C ui stabulum fuerit sub adeso monte cauatum,
Qua lucus Iouis & Nemeæi est sylua tonantis.
N on tamen hoc meminisse, sacris'ne aduenerit Ar-
A n clarã Tiryntha colens, dites'ne Mycenas. (gis,
S ic tunc ille quidẽ: sed & huic genus esse ferebat,
S i rectè memini, claro de sanguine Persei.
S pero non alium nisi te perferre laborem
T am durum potuisse, ex attingentibus æquor
V rbibus: & pellis quæ te tegit ista leonis
T estatur manifestè opus hoc manuũ esse tuarum.
N unc age dic primùm hoc heros fortißime nobis,
P rorsus ut hoc animo capiam, rectè ne secus'ne
A ugurer, illè ne sis de quo narrauerit hospes
I lle olim nobis Helicensis, & omnia rectè
D e te credidero: simul hoc narraueris hospes,
Qua nam terribilem confeceris arte leonem,
V tq; leo Nemees regionem accesserit, undis
I rriguæ: nec enim spacium per Achëidos oræ

Talem

T alem te reperire feram potuisse putarim.
E t si præcipuè cupias uidisse, quòd illa
N unquam monstra ferè producat talia, uerùm
H orribiles ursas, & aduncis dentibus apros,
E t genus armentis sæuorum triste luporum.
Qv apropter quicunq; hæc audiuere loquentem,
M iratos nimium memini, tum dicere quosdam,
I sta uiatorem mentiri, gratificantem
I mmodicæ linguæ nimio præsentibus usu.
H æc dicens medio cessisti tramite Phyleu,
V t uia sufficiens breuis esset euntibus unà.
T alia dicentem natus Ioue Phylea fortem
P onè sequens, ipse sic est quoq; uoce sequutus:
Augeada Phyleu super his quæ prima requiris,
F actus es ad stabulum iandudum certus opinor.
N unc sup. hoc monstro, q. & hæc audire uoluptas
E st tibi, quo sint gesta modo tibi singula dicam.
N on tamen unde profecta loco tam noxia pestis
V enerit, hoc etenim nemo tibi dicere possit
E x tot Abanteis quicunq; morantur in Argis.
N os tamen è superis aliquem neglecta uolentem
V lcisci sacra, conceptum effudisse furorem
C onijciebamus, super arua Phoronidis oræ.

Omnes Pisææ siquidem regionis alumnos
Infestabat atrox raptu leo Bembinæos
Præcipuè, uelut exundans atq; obice rupto
Omnia qui sternit torrens: hi nanq; propinqui
Damna nouæ patiebantur lugubria cladis.
Hoc igitur mihi principium iubet esse laborum
Eurystheus certamen, & hæc me maxima prima
Sternere monstra manu tumido ferus imperat ore.
Ipse manu capiens properanti flexile cornu,
Et uacuam pharetram, quam telis inde repleui
Digrediens, longamq́; suo cum robore clauam,
Et bene compactam, uiridi truncum ex oleastro,
Ipse ego, quem sacro diuis Helicone repertum
Cum densis totum radicibus inde reuulsi.
Iamq́; ubi contigeram diri fera lustra leonis,
Corripiens arcus ad neruum torta reduxi
Cornua, & imposui sæuo lita tela ueneno,
Circumquaq; tuens oculis, si fortè leonem
Aspicerem prius horrendum, quàm me ille uideret.
Et iam tempus erat summi quo partibus æquum
Solis erat spacium cursus ab utrisq; relictum.
Nulla uidebantur uestigia ducere in antrum,
Rugitus uox nulla meas peruenit ad aures,

Nulli

N ulli homines usquã, nec qui grege pascua seruent,
N ec qui rura colant, durosq; laboribus agros,
I nter arent uersis mandantes semina sulcis,
Q ui possunt aliquid mihi respondere roganti.
S ed procul esse timor caulasq; tenere coëgit
P allidus agricolas, & alentes pascua bubus.
A t non antè ego frondosum perquirere montem
C essaui, quàm de propria uirtute periclum
F ecissem: quando ecce suum subiturus in antrum
I ncessit leo, crudus carne & sanguine, & ora
S qualidus, horrendum uariarum cæde ferarum
P ectus habens, faciemq; informe cruoris auara
L ambebat lingua mentum: tunc ipse latebam
S yluarum densis sub opaca frondibus umbra,
O bseruans humili frondosi è uertice collis
D um prætergrederetur. ut autem uenit, euntis
I n latus emisi iaculum, sed inane, sinistrum.
N ullo etenim duram transegit uulnere carnem,
C onuersa at uiridem cecidit malè cuspis in herbã.
I lle caput fuluum & multa iam cæde cruentum
S ustulit à terra stupefactus, & omnia circum
I ntentis oculis lustrat loca: rugijt autem
V ociferans, dentesq; simul denudat aperto

P

Praegrandes rictu: ſed in hunc ego miſsile telum
Mox conieci aliud, quòd iniqua mente ferebam
Fruſtratum prius, atq; manu quòd inerte fuiſſem:
Et medium certo confixi uulnere pectus,
Qua ſua pulmoni ſedes ſita fertur anhelo.
Sed neq; ſic penetrans peruenit ad intima telum
Oſſa dolorificum, ſed & illud inutile pronos
Ante pedes cecidit: quum tertia tela pararem
Frendens atq; dolens animo miſſurus, & arcum
Fortius attraherem, uidit me bellua toruis
Inſpectans oculis, & longæ uerbera caudæ
Conuoluens circumq́; mouens, animoq́; parato
Extemplo ruit in pugnam: micat ardua ceruix
Plena furore graui, ſimiles quatit horrida flammis
Ira iubas, curuæ uelut adductiſsimus arcus
Extabant ſcapulæ compreſsius undiq; tortæ
Sub latera & lumbos. nec enim ſecus ac ubi multis
Artibus excellens uir carpentarius, igni
Admouet exſiccans caprifici ſciſsile lignum,
Id'q; ubi præualidum conatur flectere in orbem,
Et demum axiferis circundare curribus, illi
Diſsilit è manibus: ſic me leo ſæuus anhelo
Aggreſſus ſaltu petijt, mea membra cruento

Ore

Ore uoraturus: læua mox ipſe ſagittas,
Direptamq́; humero duplicẽ, mea tegmina, ueſtem
Prætendi: at ſicco nodoſam robore clauam
Suſtollens dextra, ualidoq́; interritus ictu
In caput impegi, atq; oleaſtri ex germine truncum
Immanis fregi dura in ceruice leonis.
Corpore deficiens tactam mox ille momordit
Pronus humũ, tremuloq́; ſtetit pede nixus, et ægro
Nutabat capite, atq; oculos iam lumine caſſos
Obruerant tenebræ, fracti uis tota cerebri
Concuſſa eſt: ego iam nimijs cruciatibus ægrum
Ante dato ſpatio quàm reſpiraret, adurgens
Totus in exanimem inſilui preßiq́; iacentem,
Proijciens arcumq́; manu pharetramq́; capacem,
Aegra premens manibus feßi ſpiramina colli.
A tergo tenui, ne forſitan unguibus artus
Dilaniare meos poſſet: tum crura premebam
Poſteriora feræ pedibus ualidißima figens
In terram, laterum tota ui fortiter ambas
Comprendens coxas, donec protenta reduxi
Brachia ad ora feræ, & uitæ ſpiracula clauſi.
Illi anima in tanuem fugiens euanuit auram,
Plutoniſq́; domos inamabilis umbra petiuit.

Mox animum mihi cura ſubit, quibus artibus utens
Detraherem denſa pellem ceruice tenacem,
Mortuaq́; exanimi nudarem membra leonis.
Magnam ſanè operam, non ſpernendumq́; laborē,
Poſtquam nec ferro, nec acuti cuſpide ſaxi,
Nec ligno ſcindi poterat. mihi talibus autem
Sollicito curis, diuûm quis in anxia miſit
Pectora, ut in corio reſcindendo uterer ipſis
Vnguibus. his igitur detracta pelle leoni
Ipſe ego ſum deinceps pro tegmine corporis uſus
Aduerſus duri ſubeunda pericula Martis.
Hactenus hæc homines populantis & arua gre-
Diximus ô Phileu Nemeæi fata leonis. (gesq́;
Illius hic finis fuit, hic tulit exitus illum.

THEOCRITI LENAE ſeu Bacchæ.

Eidyllion XXXIII.

INoq́; Autonoëq́; ſororq́; duabus Agaue
Pomicolor, tres in montem de more ferebant
Pampineos uiridi thyrſos uelante corymbo.
Tum folia è denſa carpentes aſpera quercu,
Viuacisq́; hedere ramos, terraq́; iacentem
Aſphodelum,

A ſphodelum, uiridi in campo qui purus ab omni
A rbore erat, poſuere ſimul ter quattuor aras:
T res harum Semeli, ter tres tibi Bacche ſacrarunt.
S acra dein manibus ciſta deprompta tenentes,
Quo ritu docuit Bacchus Semeleia proles,
H as ſibi concilians, poſuere recentibus aris.
Quæ procul aëria dum conſpicit omnia Pentheus
E ſpecula, ramos in eodem uertice natæ,
L entiſci irrepens, prima hunc matertera uidit
A utonoë, miſerumq; feris clamoribus urget,
E t ſimul inſiliens furioſi concita Bacchi
O rgia conturbat pedibus, quæ ſcilicet ulli
H audquaquã licitũ eſt ſacra cõſpexiſſe prophano.
I lla quidem præceps furiata mente ruebat,
N ec minus hac alias inſana urgebat erinnys
I n ſcelus: ac totis fugientem Penthea campis
T urba ſequebatur Baccharum infeſta ſororum
C rure tenus longas ueſtes à uentre recinctæ.
T um Pentheus, cur ſic agitis? uel cuius egetis?
Quid petitis matres? citius cognoueris, inquit,
A utonoë, quàm audiſſe queas. Ibi mater Agaue
A bſtulit arreptum miſero caput impia nato,
T antum ululans quantum uacuo rugire ſub antro

Fœta leæna ſolet: crudi trabe roboris Inò
Contudit ingentes humeros, rapidiſq; ſupinum
Calcibus inſilijt uentrem, nec diſcrepat illi
Autonoë: carnes aliæ & reſtantia Bacchæ
Membra truces laniãt: tum cæde & ſanguine fœdæ
Funeſtæq; omnes Cadmeida curſibus arcem
Inſanis repetunt, luctum, non Penthea ab alto
Monte reportantes: quæ qualiacunq; fuerunt
Facta, nihil moror, & neq; curet talia quiſquam,
In quibus offendat contempti numina Bacchi.
Non ſi uel grauiora malis patrauerit iſtis,
Ipſe ego, ſeu nono, ſeu Bacchica ſacra ſub anno,
Bis quino redeant, nunquam Bacchantibus ulla
Deſuero ratione, choroq; interſitus illi
Muſica thyrſigeris decantem carmina Bacchis.
Hoc nanq; augurium ſupremo eſt ex Ioue uerum,
Cuncta pijs meliora dari, peiora prophanis.
Tu ſalue Dionyſe pater, quem Iuppiter olim
Ex utero ſoluens femori appoſuiſſe fouendum
Dicitur ipſe ſuo Dracani prope rura niuoſi.
Formoſa ô Semele ſalue, ualeantq; ſorores
Cadmo progenitæ, quæ multis anteferentur
Ex heroidibus, quæ inſtinctæ numine Bacchi

Tale peregerunt, nec uituperabile factum.
Nemo etenim debet reprehendere facta deorum.

THEOCRITI COLVS.
Eidyllion XXXIIII.

Bonum Cecropiæ lanificans ô Cole Palladis
Matronis labor & cura domos semp amātib9,
Tu nūc fide animo, et nos sequere in Nileos inclytā
Vrbem, quà nemus est in uiridi littore consitum
Sacratum Veneri, uentus eò nos feret à Ioue
Obtentus precibus: nauigium nanq; rogabimus,
Quod non flatibus ullis egeat prosperioribus.
Illic hospitis ut chara mei pectora Niciæ
Oblectem aspiciens, & simul oblecter ab illius
Aspectu, Charitū nam uir hic est germen amabile.
Te nos ex elephanti ualidis oßibus æditum,
Vxori dabimus munera non optima Niciæ,
Cui tu continuis efficies multa laboribus
Vestimenta uiris, quasq; ferant & mulierculæ
Pallas cœruleas fœminei tegmina corporis.
Nam tondent bis oues lanigeras, temporis annui
In quouis spacio, Theugenidem propter amabilē.
Sic est & celer & fructiferis nata laboribus

R erum semper amans, quæ deceāt non nisi præditā
C asto pectore. nequaquam igitur te Cole mittimus
I gnauæ domui, non adamanti male ferias
I n nostris adeò progenitum te regionibus.
N am certè patria est clara tibi, quam uetus Archias
O lim constituens ex Ephyra condidit inclyta,
P ræstans Trinacriæ ciuibus urbs fortibus insulæ.
A t nunc sacra coles tecta domus famigeræ, uiri
Qui multā didicit, quam tenet & nunc sapientiam,
M orbos pharmacijs eijciens utilibus graues,
M ileti siquidem clara coles mœnia nobilis
C um Græcis habitans scilicet Ionibus, ut nurus
P er gentilitias emineat filia Theugenis
T e præstante Colo, te memorem possideat notam
M usas hospitis & semper amantis bona carmina.
N am te fortè aliquis conspiciens dixerit hospitum:
O quàm muneris est magna satis gratia paruuli.
N ā quæ dona ab amicis ueniūt cūcta probāda sunt.

THEOCRITI AMORES. Eidyllion XXXV.

IN uino puer est sita candida ueritas,
Vt uerbum uetus est, nec habet dubiam fidem.

Verum

V erum dicere nos quoq; conuenit ebrios.
E rgo nunc animi tibi ſenſa ego detegam.
T oto me puer improbe pectore non amas.
N anq; hoc dimidium ſupereſt animæ mihi,
F ormæ munera rara adeò reputans tuæ.
I amq́; id quod reliquum eſt animæ ſimul occidit.
Quod ſi fortè uoles, ego munere uixero
T uo cum ſuperis: ſed ubi nihil annuis,
C ogis in tenebris malè triſtibus emori,
S icut conuenit, & miſeris in amantibus
S emper triſticiæ locus eſt. tamen ô puer
S i uis te ſenioris & utilibus tibi
V ti conſilijs, melius tibi ceſſerit,
E t laudans mea pectora ſana probaueris.
F ac nidum tibi in arbore qualibet unicum,
Quo non reptile ſerpere poſsit agreſtium
V llum, nunc alia tibi fronde hodie places,
A tq; cras alia, nec ab altero in alterum
I nſanire pudet. ſiquidem tua contuens
S i quis corpora laudet, & omnia dixerit
F ormoſum, huic bonus incipis eſſe triennio.
A t te qui prius arſerit, hic triduanus eſt.
C ordi forſitan alta ſuperbáq; ſunt tibi,

Et spirare uidere nisi eximios uiros.
Sed tu, si sapies, similem tibi deliges
Quem constanter ames, utinamq́; ita feceris.
A cunctis etenim bene ciuibus audies,
Et nec durus amor tibi fiet & impius,
Qui mentes hominum domat, & facilè allicit.
Me, qui ferreus antè, nec edomitus fui,
Mollem fecit, & hactenus edomuit probè.
Sed nunc me miserum tua forma decens rapit,
Et captum tua labra tenerrima detinent.

THEOCRITI COLLOQVIVM Daphnidis & puellæ.

EIDYLLION XXXVI. & ultimum.

DA. Fertur amā Helenam Paris abduxisse Lacænā,
Pastor & ipse boum, sed me formosior illa
Plus amat hæc Helene, qui sum formosior illo.
PV. Ne uerò Satyrisce tume, quia pauca tulisti,
Quæ nihil ad uotum iactantibus oscula prosunt.
DA. Vana licet fuerint, dulcis tamen ipsa uoluptas
Oscula consequitur, cupidosq́; oblectat amantes.
PV. Quid? nisi quòd liquido simul os in fonte lauaro,

Despuō

Despuo ab inuitis quæ tu rapis oscula labris.
Perge laua, dum quo magis os formosa lauabis, DA.
Hoc magis ipsa mihi suauißima basia sumam.
Oscula quin melius nostris dabis improbe uaccis, PV.
Quàm mihi uirginei uernanti in flore pudoris.
Ne uerò, ne uirgo tume, ne stulta superbi, DA.
Quàm cito discussa uaga somnia nocte feruntur,
Quàm cito demittit, quo floruit, una uigorem,
Quàm rosa sicca perit, tam flos cadit ille iuuentæ.
Quin magis huc gratis, ubi nos oleaster inumbrat
Frondibus, huc concede, tibi ut noua dulcia narrẽ.
Non sequar ipsa, uoces licet improbe, nãq; recor- PV.
Antè quoq; elusam fallacis carmine linguæ. (dor
Sed tamen has uirides mecũ concede sub ulmos, DA.
Vt tibi uirgineas mea fistula mulceat aures.
Quin potius propriã oblectet tibi fistula mentẽ. PV.
Nam me nulla iuuat quæ sit dolitura uoluptas.
Eheu quin Venerem metuis, solet illa superbas DA.
Vlcisci, ingrata nec uirginitate mouetur.
Nil tecum mihi blanda Venus, Cytherea ualeto, PV.
Dum mihi casta suum seruet Diana fauorem.
Talibus adde modum uerbis, ne diua furorem DA.
In te acuat, laqueoq; premat tua colla superbo.

PV. Vt uolet iniiciat laqueos mihi, dummodo ſaluam
M e uolet, & caſtum mihi Cynthia ſeruet honorē.
N e continge manu quā non decet improbe, ne dum
V im facis, ungue comas uellam tibi, et ora cruentē.
DA. Quid fugis? optandum'ne etiam auerſaris amorē?
I andudum quem non aliquæ fugere puellæ.
PV. Pana per & Nymphas fugio, nā ruſticus ipſe es,
C uruaq; depreßi uerſas iuga ſemper aratri.
DA. Atqui non modicus timor eſt, ne fortè Cupido
P eiori te indigna uiro per fœdera iungat.
PV. Multi ſæpe meos iuuenum petiere Hymenæos,
N ullius ipſa tamen precibus precio'ue mouebar.
DA. Ipſe quoq; è multis & non indignus amari,
T e mihi legitimi ſociam peto iungere lecti.
PV. Vt faciam quæ uis, dolor hæc mea uota ſequetur,
Quando aliæ multos nuptæ ſenſere dolores.
DA. Nunquam felices Hymenæos ulla ſequuta eſt
T riſticia, at ueniens per gaudia multa uoluptas.
PV. Sed nuptæ timuere uiros, ſemperq;, quod aiunt,
C oguntur miſeræ dominis ſeruire maritis.
DA. Quin potiꝰ (qd enim, ulꝰ quos metuiſſe putādū eſt?)
M ulto iure uiris dominantur amantibus ipſæ.
PV. At partum metuo, nimios habet ille dolores,

Partus lucifugæ telo grauis Ilithyiæ.
At regina tua est nemorum Latonia custos, DA.
Quæ placata suo parientes numine seruat.
Sed metuo, quia quæ pariunt, ut sæpe uidemus, PV.
Viuacem succo perdunt fugiente colorem.
Sed si quæ paries charißima pignora fient, DA.
Luce noua bonus ille color tua lumina pascet.
Forsan ut annuero, quã nuptam dote rependes, PV.
Quæ nostros æquet digna mercede Hymenæos?
Pascua tota feres, tota hæc armenta tenebis, DA.
Quæ circum tota regione errantia pascunt.
Nunc igitur iura, ne post noua fœdera lecti PV.
Deseruisse uelis, te, non tua dona sequutam.
Vt pia syluicolæ faueant mihi numina Panos, DA.
Non etiam si me tota iam mente sequaris.
Ergo mihi gratamq́; domum, gratumq́; cubile, PV.
Claudendisq́; paras nostris stabula alta capellis?
Te dignos thalamos, gratumq́; cubile parabo, DA.
Quasq́; uides pulchræ, mea sunt hæc omnia, caulæ.
Sed pater est longis æuo confectus ab annis, PV.
Huic ego quid dicam? quo factum nomine purgem?
Ne dubita, factum tota ratione probabit, DA.
Nomen ubi audierit nostrum specimenq́; paternũ.

PV. Aede igitur qđ nomen habes? gen⁹ unde paternũ
Sit tibi, nam quædam eſt in nomine ſæpe uoluptas.
DA. Daphnis ego, Lycidas pater eſt mihi, matre No-
Haudquaquã obſcuris natalibus æditus, ipſa (mea,
Indole te generis ſupero, quæ patre Menalca
Prodita, non adeò uirtute excellis auita.
PV. Quas numeroſa tibi paſcũt armenta per herbas?
Qua ſyluæ regione tenes in montibus agnas?
DA. Huc ades, en florent denſa ſub fronde cupreſſi,
Læta hæc interea depaſcite gramina tauri,
Rodite nunc frondoſa meæ dumeta capellæ,
Dum loca demonſtro nemorum ſecreta puellæ.
PV. Quid facis ô Satyriſce? quid has inſane papillas
Contrectas, caſto quas cogit fibula nexu?
DA. Prima hæc uere ſuo ceu pubeſcentia mâla,
Hic animus miro cognoſcere geſtit amore.
PV. Obſtupeo, atq; omnes gelid⁹ timor occupat art⁹.
Teſtor Pana, manus procul hoc à corpore tolle.
DA. Sume animos, cur ſic metuis? ceu mente labores.
Non eſt cur fugias tibi gaudia blanda ferentem.
PV. Verùm age ne, dũ me loca ſordida in iſta reclinas,
Commacules pulchras immundo in puluere ueſtes.
DA. Hoc tua ſubſternam tenerum ſub corpora uellus,

Ne tua ſub tergo maculentur pepla ſupino.
Eheu hanc etiam quò paruam Daphni relegas, PV.
Cur abijt? quò me trahis improbe? quid'ue reſoluis?
Has ego primicias Veneri gratiſsima ſoluo DA.
Munera, & hoc illi debemus munus amantes.
Daphni mane, niſi uana meas uox fertur ad aures, PV.
Iam ueniet qui nos deprendat & omnia turbet.
Oſcula concubitusq́; tuos uirides cypariſsi DA.
Alternante uicem ſonitu ceu uoce loquuntur.
Quin reficis, quam rupiſti mihi perfide ueſtem, PV.
Quippe domum nudam pudet, & ſine ueſte reuerti.
Quam tibi diruptam quereris, meliore rependam DA.
Veſte tuam, cultuq́; uolens ornabo decenti.
Omnia promittis prompta mihi munera lingua, PV.
Pòſt paulò fragili non dignature ſalillo.
Imò etiam ſi largiri tibi talia poſsim, DA.
Hanc animam grato cupiens pro munere ſoluam.
Parce precor dea, ne ſæui Latonia uirgo. PV.
Mitte deam, nuptæ tibi non fauet amplius illa. DA.
Nunc uitula faciam qui me ſibi ſubdit amari. PV.
Eximiumq́; bouem Veneri mactabo maritæ,
Quando huc perueni thalami ſine crimine uirgo,
Hinc abeo caſti uiolato flore pudoris.

Sic illi membris ætate uirentibus ibant,
B landáq; fundebant alterno uerba ſuſurro,
L inquentes placidi furtiua cubilia lecti.
H æc placidè paſcebat oues, iam grata ſub imo
G audia corde premens, uultu ſimulante pudorem:
T aurinum ille gregem, furtiuo Cypridos uſu,
P aſcua proſpiciens pecori, lætatus abibat.

FINIS.

VERSVS SVNT IN THEOcriti Eidyllio XV.

Huc age proſer aquam grauibus contrita flagellis,
E unoa pone iterum: quàm quærunt mollia feles
O cia: tolle moras, fer aquã citò: nanq; lauandũ eſt
A nte uiæ quàm ineamus opus, durumq; laborem.
A ſpice quàm tulit officioſa.

HI VERSVS ITA REDdi potuiſſe uidentur.

Eunoa tolle iſthæc filamina texta, reponens
P rotinus in medium: quàm quærunt mollia feles
O cia: tolle moras, fer aquã citò: nanq; lauandũ eſt
A nte uiæ quàm ineamus opus, durumq; laborem.
A ttulit hæc autem contexta.

SCHOLION, QVO DIFFICILIORA ALIquot Theocriti græci loca explicantur.

Pagella 2. Versu 22.

ἄλλοκα μὲν τῆνον.

Υπερβολικῶς εἴρηται. οὐ γὰρ ἐν γραφῇ δυνατὸν κίνησιν ζωτικὴν εἶναι. ὑπερβολικῶς γοῦν τὸ ἀκριβὲς τῆς εἰκόνος ἔλεξεν.

Pag. 1. uer. 2.

ΕἸΔΥΛΛΙΟΝ Α.

Ἀμοιβαῖον καὶ δραματικὸν τὸ παράπαν.

1. uer. 6.

ἁ χίμαρος, χιμάρῳ δέ.

Ἡ χίμαρος ἰδίως ἐνιαυσιαῖον αἴξ.

3. uer. 11.

ἥμενος. ἀμφὶ δέ μιν.

Ὅμοιον τῷ, σύν τε δύ᾽ ἐρχομένω. καί, οἱ δὲ δύο σκόπελοι, ὁ μὲν οὐρανόν.

3. uer. 21.

οἶνον καὶ τυρόεντα.

Τυρόεντα συνίζησις τῶν δύο φωνηέντων. τὸ γὰρ τυ μακρόν.

4. uer. 4.

4. uer. 4.

ἄρχεται βουκολικᾶς.

Τὸ ἄρχεται βουκολικᾶς ἐντεθέμενον, ὥσπερ παραγραφή ἐστι τῆς ᾠδῆς. τὸ δὲ σχῆμα αὐτῷ δὴ λέγεται.

4. uer. 12.

Τῆνον χ' ὠκ δρυμ. λέων ἀνέκ.

Ἀνέκλαυσε. τινὲς γὰρ λέγουσιν ἐν Σικελίᾳ μὴ εἶναι λέοντας.

4. uer. 18.

τίς τυ κατατρύχει.

Τὺ νῦν μὲν ἀντὶ τοῦ, σε.

5. uer. 19.

ἤδη γὰρ σφράσδει.

Ὃς ἔφρασε τὴν αὐτῆς συνάρει συνουσίαν, ὡς Ὀδυσσείας θ.

5. uer. 22.

οὐ λέγεται τὰν λύ.

Ἔλλειψις τοῦ γνῶναι, ἢ καταισχῦναι.

6. uer. 6.

αὖθις ὅπως στάσῃ.

Ὅρα ὅπως στάσῃ. οὕτω γὰρ ἐν χρήσει ἐλλειπτικῇ τὸ ὅπως, ὡς παρὰ Πλάτωνι, καὶ ὅπως μὴ ἀπαισχυνεῖ.

8. uer. 20.

ΕἸΔΥΛΛ. Β.

Εἰδύλλιον μιμητικόν.

9. uer. 5.

Μή τέ τι μηδείας.

Τὴν Ἀγαμήδην λέγει, ἣ τόσα φάρμακα οἶδεν, ὅσα τρέφει εὐρεῖα χθών. Ἰλιάδ. λ.

9. uer. 6.

Ἴϋγξ ἕλκε τὺ τῆνον.

Ἐπῳδή.

17. uer. 1.

ΕἸΔΥΛΛ. Γ.

Μιμητικὸν καὶ τοῦτο.

17. uer. 20.

Τὸ πᾶν λίθος, ὦ κυαν.

Λίπος δι' ὅλου λιθινὴ ἤγουν σκληρὰ ἢ λευκή. ἐν δὲ, λίπος γράφεται λιπαρά.

19. uer. 3.

ἐς πύλον. ἃ δὲ.

Τὴν πηρὼ φησί. Ὀδυσσείας λ.

20. uer. 6.

Δραματικὸν ἀμοιβαῖον.

24. uer. 7.

Δραματικὸν καὶ ἀμοιβαῖον καὶ τοῦτο.

29. uer. 17.

ἢ οὐ μέμνασ' ὅτ'.

Ἢ οὐ συνίζησις, ὡς τὸ ἢ οὐκ ἀΐεις.

32. uer. 1.

Εἰδύλλιον διηγηματικόν.

35. uer. 1.

Διηγηματικὸν καὶ τοῦτο.

40. uer. 21.

ὡς πάρος, ἐκ μοισᾶν.

Δύναται τὸ ὡς πάρος καὶ περὶ τοῦ προτέρου γέλωτος ἐννοηθῆναι. ὁ δὲ γαζᾶς λείπειν φησὶ τὸ ὑπέστη.

43. uer. 1.

Διηγηματικὸν μικτόν. ἐνίοτε γὰρ τὸ αὐτοῦ πρόσωπον, ὥσπερ ἐν ἀρχῇ ἐντίθησι ὁ ποιητής.

44. uer. 16.

πῆ ποχ' ὁ συρικτάς.

Ὡς τὸ μητίετα ζεύς.

47. uer. 14.

Δραματικόν. ἡ δὲ ἀρχὴ ἐκ τινὸς νομέως ἀνωνύμου, ὡσαύτως καὶ τὸ τέλος.

50. uer. 9.

Εἰδύλλιον δραματικόν.

54. uer. 1.

Εἰδύλλιον διηγηματικόν.

59. uer. 1.

Ἀφηγηματικὸν γὰρ προσδιαλέξει.

61. uer. 11.

Διηγηματικὸν καὶ τοῦτο.

65. uer. 9.

Εἰδύλλιον δραματικόν.

70. uer. 1.

Δραματικὸν μιμηκῶς.

72. uer. 8.

διαλεῖται τὸν ἰόντα.

Δεινοὶ πλέκειν τοι μηχανὰς Αἰγύπτιοι.

77. uer. 15.

Εἰδύλλιον ἀφηγηματικόν.

83. uer. 8.

Ἐγκωμιαστικὸν εἰδύλλιον.

89. uer. 16.

Εἰδύλλιον διηγηματικόν.

92. uer. 12.

ΕἸΔΎΛΛΙΟΝ ΙΘ.

Ἐπικήδιον. δοκεῖ δ᾽ οὐκ εἶναι Θεοκρίτου τοῦτο τὸ εἰδύλλιον, ἀλλὰ ἴσως τοῦ Μόσχου. ἀριθμοῦνται ἢ τρεῖς

δὲ τρεῖς ποιηταὶ τῶν βουκολικῶν, Θεόκριτος, Μόσχος, Βίων.

94. uer. 14.

ἐν κύμασι κήρυλος.

Κήρυλόν φασί τινες καλεῖσθαι ἀλκύονα ὅταν γηράσῃ. Ἀριστοτέλης δὲ διήρησεν ἀλκύονα καὶ κήρυλον. οἱ γὰρ ἀλκυόνων ἄρρενες, κήρυλοι καλοῦσι.

97. uer. 3.

κλαίει σικελίδας τὸ σάμιος.

Ἀσκληπιάδην λέγει τὸν ἐπιγραμματογράφον.

99. uer. 1.

Εἰδύλλιον διηγηματικόν.

106. uer. 6.

Διηγηματικὸν καὶ τοῦτο τὸ εἰδύλλιον.

108. uer. 1.

Εἰδύλλιον διηγηματικόν.

108. uer. 11.

Ἐπικήδιον. οὐδὲ τοῦτο δοκεῖ εἶναι Θεοκρίτου, ἀλλὰ Βίωνος. μνήμη γὰρ ποιεῖται τοῦ Ἀδώνιδος φιλήματος ἐν τούτῳ ἐπιταφίῳ, τοῦ καὶ πρότερον ἐν τῷ εἰς Βίωνα.

115. uer. 7.

Εἰδύλλιον διηγηματικόν.

118. uer. 13.

Δραματικὸν καὶ τοῦτο μιμηκῶς.

124. uer. 11.

Ἐγκωμιαστικὸν γὰρ ὑπὲρ διηγηματικῶν.

134. uer. 18.

Διηγηματικὸν εἰδύλλιον.

141. uer. 1.

Εἰδύλλιον διηγηματικόν.

161. uer. 1.

Διηγηματικὸν καὶ τοῦτο.

163. uer. 1.

Εἰδύλλιον ἀφηγηματικόν.

163. uer. 4.

Θαρσεῦσ' ἄμμιν.

Τὴν Μίλητον λέγει ἀπῳκήσαντος Νηλέως τοῦ Κόδρου.

164. uer. 5

Ἀφηγηματικὸν εἰδύλλιον.

166. uer. 1.

Εἰδύλλιον δραματικόν.

DE METRICA RATIONE, qua constat Theocriti Fistula.

Pagella 140.

Primum membrum Fistulæ, & secundum ac tertiũ, hexametra sunt acatalectica, sic:

– –   – ∪ ∪   – –   – ∪ ∪   – ∪ ∪   – –
– ∪ ∪   – –   – ∪ ∪   – ∪ ∪   – ∪ ∪   – ∪
– –   – ∪ ∪   – ∪ ∪   – ∪ ∪   – –   – –

Σύριγξ ὄνομ᾽ ἔχεις. ἀλλὰ δέ σε μέτρα βαίνης
Οὐδενὸς εὐνάτειρα, μακροπτολέμοιο δὲ μάτηρ
Μαίας ἀντιπέτροιο θοὸν τέκες ἰθυντῆρα.

Quartum autem & quintum hexametra catalectica, quippe deficiēte in eis unius syllabæ terminatione.

– ∪ ∪   – –   – ∪ ∪   – ∪ ∪   – ∪ ∪   –
– ∪ ∪   – ∪ ∪   – ∪ ∪   – ∪ ∪   – ∪ ∪   –

Οὐχὶ κεράσταν ὅν ποτε θρέψατο ταυροπάτωρ.
Ἀλλ᾽ ἀπέλειπες οὗ αἶθε πάρος φρένα τέρμα σάκευς

Sextum & septimum pentametra acatalectica, quibus terminatio non deest.

– ∪ ∪   – –   – –   – ∪ ∪   – ∪ ∪
– –   – ∪ ∪   – ∪ ∪   – ∪ ∪   – ∪ ∪

Οὔνομ᾽ ὅλον δίζων ὃς τᾶς μέροπος πόθον,
Κούρας γηρυόνας ἄθε τᾶς ἀνεμώδεος.

Octauum & nonum pentametra catalectica, item unius syllabæ deficiente exitu.

— —   — ∪ ∪   — ∪ ∪   — ∪ ∪   —
— ∪ ∪   — ∪ ∪   — ∪ ∪   — ∪ ∪   —

Ὅς μοίσᾳ λιγὺ πᾶξεν ἰοστεφάνῳ,
Ἕλκος ἄγαλμα πόθοιο πυρισφαράγου.

Decimum & undecimum tetrametra acatalectica, quibus nulla deest syllaba: sunt enim integra:

— ∪ ∪   — ∪ ∪   — —   — ∪ ∪
— ∪ ∪   — ∪ ∪   — ∪ ∪   — ∪ ∪

Ὅς σβέσεν ἀνορέαν ἰσαυδέα
Παπποφόνου τυρίας τε ἀφῆλος.

Duodecimũ & decimumtertiũ tetrametra catalectica, quibus syllaba deficit, quin perfecta sint tetrametra.

— ∪ ∪   — ∪ ∪   — ∪ ∪   ∪
— ∪ ∪   — ∪ ∪   — ∪ ∪   —

Ὦ τόδε τυφλοφόρων ἐρατὸν
Πᾶμα πάρις θέτο σιμιχίδας

Decimumquartum trimetrum acatalecticum, nulla carens syllaba. integrum ergo.

— —   — ∪ ∪   — —

Ψυχάν, ὦ βροτοβάμων.

Decimumquintum, decimumsextum, & decimum

septimum

ſeptimum trimetrica catalectica. Nam una deeſt ſyllaba, ut integra trimetra exiſtant.

— —   — ∪ ∪   —
— ∪ ∪   — ∪ ∪   —
— ∪ ∪   — ∪ ∪   —

Στήτας οἶστρε δέτας
Κλωποπάτωρ ἀπάτωρ
Λαρκανόγυιε χάροις

Decimumoctauum dimetrum acatalecticum, cui nihil deeſt, quin ſit abſolutum.

— ∪ ∪   — —

Ἀδὺ μελίσδοις

Decimumnonum, & ultimum, pentametrum acatalecticum, nulla excidente ſyllaba ut pentametrum.

— ∪ ∪   — —   — ∪ ∪   — —   — —

Ἐλλοπιηκούρα καλλιόπα νηλδύστω.

FINIS.

QVAE A NOSTRA THEO criti æditione uariare deprehendimus, contulimus hoc modo.

		Nostrū exemplar.	Aliâs.
Pagel. 2.	uerſ. 18	τὶς θεῶν.	τί θεῶν δαίδαλ.
3	13	τοὺ χροισα.	κισύβοιο
3	19	αἰπολικόν.	αἰπολικὶν.
4	4	μῶσαι.	μοῖσαι.
4	5	ἁδ᾽ ἁ φωνά.	ἁδεῖα φωνά.
6	12	θύμβριδος.	δύμβριδος.
11	3	φλιᾶς.	φιλίας.
11	23	λιποῦσιν.	λιπόντων.
18	10	πολυμάξαυ τὸ πλατάγημα.	ποτιμαξάμενος πλατάγησεν.
23	6	μανδραν.	μάκραν.
30	6	τὰν κάλπιδα.	τᾶ κάλπιδι.
40	17	μόλων.	μολὼν.
47	19	ἐφαψάσθω.	ἐφεψάσθω.
47	20	ὑπό.	ὑπαΐ.
51	11	χροΐζεται.	χροΐξειασθ᾽.
52	6	χρῆμα.	χροιάν.
53	12	ὑπὸ Θεοκρίτου πρὸς Κύκλωπα.	ὑπὲρ Κύκλωπος πρὸς Θεόκριτον.
54	20	τοιαῦτ᾽ ἤειδεν.	ἄειδε τοιαῦτα 55 2

55	2	φιαρωτέρα.	σφιγανωτέρα.
55	22	ἀμυνοφόρας.	μαννοφόρως.
57	8	δῆλον ὅτι.	δηλονότι.
76	5	πτύοντα.	ὕπτιον ὄντα.
77	6	μετὰ δὲ τοῦτον ἦρξεν, ἱέρων.	ἐπεὶ δὲ τοῦτο ἦρξε καὶ ἱέρων.
77	20	ἀείδομεν.	ἀείδοντι.
89	15	αὐτοῦ.	ἑξῆς.
104	10	νηῶν.	γοιῶν.
111	4	ἄρη.	ἄδη.
135	13	διζόρπαξ'.	διζάρπαξ'.
171	4	σακός.	σακκός. κᾶπος.
173	8	ἕτορος.	ἑτόρως.

F I N I S.

BASILEAE EX AEDI
BVS ANDREAE CRA
TANDRI, MENSE SE
PTEMBRI,
AN.

M. D. XXXI.




calibrite
colorchecker CLASSIC
mm